

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Ioannis Meisneri, S.S. Theol. Doct. Te Prof. Pvbl. In
Academia Vitembergensi Theologia Natvralis**

Meisner, Johann

Vitembergae, MDCCVI.

VD18 90851714

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.


For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-219527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-219527)





~~198-10~~
52. 510





IOANNIS MEISNERI,

S. S. THEOL. DOCT. ET PROF. PVBL.
IN ACADEMIA VITEMBERGENSI

THEOLOGIA NATVRALIS.

LIBER ELEGANS, ET OB RARI-
TATEM RECVSVS.



VITEMBERGAE,

Sumptu CHRIST. THEOPH. LVDOVICI.
BIBLIOPOL. ACADEM.
MDCCVI.

THEOLOGIA
NATURALIS.



WITENBERG
BIBLIOTHECA
MDCCL

M
S
D
in
S.
R
D
S.
S
2

*MAGNIFICIS, REVERENTIS-
SIMIS, CONSVLTISSIMIS, NOBILISSI-
MIS AC SVMMIS VIRIS*

SVPREMI SYNEDRII ECCLESIA-
STICI ELECTORALIS, QVOD DRES-
DAE EST, PRAESIDI AC CONSILIA-
RIIS EMINENTISSIMIS,

DN. FRIDERICO A Mettsch?

in Reichenbach & Zriesen TOPARCHAE,
S. CAES. MAIEST. CONSILIARIO, IMPER.
ROM. ARCHITHESAVRARIO, SERENISS. SAX.
ELECTORI A CONSILIIIS SECRETIORI-
BVS, ET IN SENATV ECCLESIA-
STICO PRAESIDI &c.

DN. IACOBO VVELLERO,

S.S. THEOL. DOCT. SERENISS. ELECT.
SAX. A CONCIONIBVS AVLICIS PRI-
MARIIS, CONFESSIONIBVS SA-
CRIS, ET CONSILIIIS ECCLESIA-
STICIS &c.

DN.

DN. AEGIDIO STRAVCHIO,
S.S. THEOL. DOCT. ECCLES. DRESD.
AD D. CRVCIS PASTORI, AC VICINA-
RVM SVPERINTENDENTI VIGI-
LANTISSIMO AC CELEBER-
RIMO, &c.

DN. FRIDERICO TVNZELIO,
ICTO, CAES. PALAT. COMITI ET SE-
RENISS. ELECT. SAX. AB APPELLA-
TIONVM CONSILIIS &c.

DN. IO. LVDOVY. COPPELIO,
ICTO, ET SERENISS. SAX. ELECT.
CONSILIARIO, &c.

DOMINIS AC PATRONIS
MEIS COLENDIS DEMISSE AC
VENERANDIS,

S. D.



Ræclare de re
Theologica, & u-
niversa adeo Ec-
clesia meriti sunt,
qui pro veritate
Christianæ Reli-
gionis & olim contra Paganismum,
& hodieque adhuc contra Muham-
medanos & atheos decertant.
Nam quo major impietas est, eo plus
operæ ac diligentia in ea oppu-
gnanda ponendum, accuratiusque
cum illis agendum, qui, nisi damna-
to erroneo idolorum cultu, veram
religionem amplecti non possunt.
Sicut enim in curatione canonica e-

)(3

vacua-

vacuari primo corpus humanum, & noxios humores expelli oportet; ita fieri nequit, ut quis, priori doctrina relicta, novam aliquam amplectatur, nisi ostendatur prius, eam, quam nunc fovet, falsam & rejiciendam esse. Quicumque igitur paganum aut idololatram ab idololatria ad unius veri Dei cultum pertrahere velit, hoc ante omnia accurate sibi agendum existimare debet, ut idololatriæ impietatem, stultitiam ac vanitatem ostendat, sive hoc per argumenta philosophica ex lumine naturæ deprompta, sive per ipsum verbum Dei fiat. Etsi enim hodie, postquam religio Christiana totum ferme orbem occupavit, paganismo passim abolito, & ad feras tantum barbarasque gentes ablegato, non videatur adeo necessaria vetus illa
contra

co
rat
Pr
oli
po
no
fid
tra
pr
rat
ad
en
se
&
nu
no
ter
inu
car
pe
pra

contra impios & paganos disputandi
ratio, sufficiatque solum verbum;
Prophetis & Apostolis peculiariter
olim a Deo revelatum, ac ejus iusta
postea in literas redactum, tanquam
norma & regula docendi mysteria
fidei, ac errores sanæ doctrinæ con-
trarios refellendi, imo hoc ideo pro-
prie traditum sit, ut nobis viam ac
rationem, tum ad Ecclesiam, tum
ad æternam beatitudinem deveni-
endi commonstret, tantaque vi per
se polleat, ut ipsos etiam ethnicos
& gentes maxime barbaras, quod
nulla unquam Philosophia potuit,
non tantum ad honestatem & virtu-
tem civilem, sed tantam etiam vitæ
innocentiam & sanctitatem perdu-
cat, ut, qui antea scelestissimi ac
pessimi erant, una hujus doctrinæ
prædicatione, optimi, continentissi-

mi, omniumque rerum humanarum contemptores evaderent, sequerentur verbo divino deinceps dedolandos traderent, sicut ex Actis Apostolorum & tota historia Ecclesiastica notum est: Nihilominus tamen nec ista semper adhiberi potest, nec altera illa prorsus est abjicienda, non tantum propter atheos & infideles, qui nec verbum Dei, nec, quæ hoc nuntitur, divinam revelationem ullatenus amplectuntur, sed & propter alios, qui, professione quidem Christiani in Ecclesia vivunt, animo tamen impii & athei sunt, ac denique propter pios ac fideles ipsos, qui ad eruditionem sibi acquirendam gentiliū scripta nonnunquam evolvunt, ut antidotum habeant adversus venenum, quod in sapientissimorum ethnicorum lucubrationibus ple-

plerumque laet. Utroque igitur
nomine ad os obturandum impieta-
ti & usurpata olim contra ethnicos
sunt, hodieque adhuc utiliter contra
impios usurpari possunt. *quacun-*
que vera ac fidei nostra accom-
moda Philosophi dixerunt, ut Au-
gustinus ait lib. ii. de doctr. Christ.
cap. XL. nec solum formidanda non
sunt, sed ab eis etiam, tanquam
injustis possessoribus, in usum no-
strum vendicanda. Sicut enim
Aegyptii, pergit, non solum idola
habebant, & onera gravia, quae
populus Israel detestaretur & fu-
geret, sed etiam vasa atque or-
namenta. quae ille populus exiens de
Aegypto sibi potius, tanquam ad
usum meliorem, clanculo vendi-
cavit: sic doctrina omnes gentili-
um, non solum simulata & super-

) (s

Julio

stilitiosa figmenta, gravesque sarcinas supervacanei laboris habent, quæ unusquisque nostrum debet abominari atque devitare, sed etiam liberales disciplinas, ususque veritatis aptiores, & quadam morum præcepta utilissima continent, deque ipso uno Deo colendo nonnulla vera inveniuntur apud eos, & quo perverse ad obsequia Daemonum abutuntur, debet ab eis auferre Christianus ad usum justum prædicandi Evangelii. Hæc S. Augustinus, qui ea, quæ tum contra veritatem cœlestem pugnare debebant, nunc ad veritatem illam defendendam & contra errores atque impietatem propugnandam advocare jubet: non ut propter illa argumenta & rationes ex naturæ principiis deductas proprie

prie
stia
mu
fed
gio
sur
tan
cul
can
dis
run
stu
tes
m
plu
ne
ba
se
di
va
ita

prie & principaliter doctrinæ Chri-
 stianæ fides habeatur, hoc enim de-
 mum propter ipsum verbum Dei fit,
 sed ut ostendatur, ethnicorum reli-
 gionem meram impietatem & ab-
 surditatem continere, ipsique porro
 tanquam externo quodam admini-
 culo ad Ecclesiam quasi manudu-
 cantur, sicut hoc Samaritanis acci-
 disse Joh. IV, 39. 41. 42. legitur, quo-
 rum *multi crediderunt in Chri-*
stum, propter sermonem mulieris,
testantis ac dicentis, certe dixit
michi omnia, quæ feci. At multo
plures crediderunt propter sermo-
nem ipsius, & illi mulieri dice-
bant: non amplius propter tuos
sermones credimus, ipsi enim au-
divimus, & scimus esse vere Ser-
vatorem illum mundi, Christum.
 Ita Paullus Apostolus naturalibus ar-
 gumen-

gumentis, adducto etiam Arati poetæ testimonio, contra Athenienses disputabat Act. XVII, 23. 24. Certe, si nulla alia, hæc saltem utilitas inde existit, ut de cultu idolorum subdubitare incipiant, sicut Augustinus, cum adhuc Manichæus esset: S. Ambrosium Mediolani primum audiebat, & ex ejus sermone hoc lucrabatur, *ut intenderet animum, si quo modo posset, certis aliquibus documentis Manichæos convincere falsitatis*, ut ipse de se commemorat lib. V. Confess. cap. XVI. *Itaque Academicorum more, pergit, sicut existimantur, dubitans de omnibus, atque inter omnia fluctuans, Manichæos quidem relinquendos esse decrevi, non arbitrans eo ipso tempore dubitationis meæ in illa secta mihi permanendum*

du
fop
VI,
nic
do
po
fid


oli
Ch
fib
tiv
tyr
tha
cta
zer
Ap
fa
pe
pe
scr
ipl

dum esse, cui jam nonnullos Philo-
sophos præponebam. Idem libb.
VI, VII, & VIII, prolixè refert, nec Ma-
nichæum se nec Catholicum fuisse,
donec tandem cap. XII. libr. VIII, de-
posita omni dubitatione, susciperet
fidem Christianam.

Vnde & iisdem argumentis jam
olim, in propugnanda religionis
Christianæ veritate, cum infidelibus
sibi experiundum censuerunt primi-
tivæ Ecclesiæ Doctores, Justinus Mar-
tyr, Athenagoras, Tertullianus, A-
thanasius, Cyprianus, Arnobius, La-
ctantius, Eusebius, Gregor. Nazian-
zenus, & plerique omnes, quorum
Apologiis contra ethnicos in univer-
sa antiquitate vix doctius quicquam
perscriptum extat, aut copiosius fuit
pertractatum: Hi non tantum ex
scriptura, verum etiam philosophia
ipsorumque ethnicorum libris, quic-
quid

quid vel excogitatum ab ipsis, velex
traditione majorum haustum erat,
& ad confutanda dogmata eorum
aut stabiliendam Christianorum fi-
dem ullo pacto conferre aliquid po-
terat, summo studio & industria
conquirebant, tantaque felicitate,
tam dextre ac nervose contra ethni-
cos & idola disputabant, ut non tan-
tum Deorum templa cultumque
idololatricum everterent penitus, sed
& magnam, veritate paulatim caput
extollente, religioni nostræ accessio-
nem facerent. Atque hæ causæ me
quoque permoverunt, ut quicquid
vel olim ab antiquis patribus, vel et-
iamnum hodie a Scholasticis Docto-
ribus aliisque ea de re disputatum es-
set, exiguo hoc, uti videtis, volumine
comprehenderem. Quare autem
vobis, **MAGNIFICI ET EXCEL-**
LEN-

LE
ri
ad
ra
gi
pi
tu
ve
Pa
tri
Di
ra
ha
um
do
da
ho
qu
jur
Ne
gu



LENTISSIMI DOMINI, lucubrationes has offeram, causæ non longe adeo mihi sunt arcessendæ. Non tantum enim ipsi scientiam Theologicam & non fucatam in Deum pietatem, veræque religionis cultum, ut par est, æstimatis & colitis, verum etiam Serenissimo Principi, Patriæ Patri, ad latus, & universæ Patriæ nostræ quidam quasi tutelares Dii positi, tum Ecclesias harum terrarum, tum præcipue celeberrimam hanc toto orbe Academiam, omniumque in ea discentium pariter ac docentium studia, velut ex alta quadam specula, inspicitis. Quare non hoc tantum, sed & reliqua nostra, qui & quamdiu in Patria vivimus, jure quodam vestro vobis debentur. Nec ingratum vobis esse alias solet, quicquid ad S. S. Theologiæ accuratius

tius

tius studium, & præparandos juvenum animos ulla ex parte conferre aliquid potest. Vnum igitur hoc, quanta possum observantia, oro a Vobis atque contendo, ut quaecunque hoc pignus meæ erga Vos observantia, una cum ignoto plerisque Vestrum auctore, animo benevolo suscipiatis. Deum Opt. Max. ex animo veneror, ut & vos servare diutissime incolumes & consilia Vestra in miseræ & tantum non collapsæ Patriæ emolumentum dirigere clementer velit. Scribebam Vitemb.
Calend. Jul. Anno cl^o 1^o CXLIX.

Virtutibus maximis & gloriosissimis Nominibus Vestris addictus perpetuo atque devotus

IOANNES MEISNERVS

gr
su
Li
qu
su
an
bu
bu
no
tat
inn
sec
bat
que



*Nimus nobis est, bono
cum Deo, ea quæ de noti-
tia DE lex lumine &
principiis naturalibus
deprompta a Philoso-
phis explicari solent, ag-
gredi, eaquæ compendio tradita denuo
sub incudem Disputationis revocare.
Libet autem afferre non ea tantum,
quæ ab aliis recte hætenus tradi con-
sueverunt, sed cætera etiam, in quibus
a non paucis præstantissimis scriptori-
bus, recentioribus æque, ac vetustiori-
bus, erratum est, non quidem ideo, quod,
novatorum more, contempta antiqui-
tate, cornicum oculos configere, cuncta
innovare, recte constituta & tot retro
seculis a doctissimis quibusque appro-
bata labefactare ac evertere, aut deni-
que parum modeste de veterum senten-*

A

tia

tia iudicare velimus; sed ut veritatem hoc modo, qua in medio posita est, ex illo Democriti puteo, in lucem protraheremus. Et occuparunt quidem hoc argumentum viri eruditi atque illustres, & persecuti praeclare sunt, quae in hoc genere sibi explicanda sumpserunt, prae ceteros tamen Scholaastici Doctores, inprimis Petrus Lombardus, sententiarum magister, ac Episcopus Parisiensis, itemque Thomas, Aquini Comes, & Scholasticorum princeps, prima parte Summae Anglicae in hanc materiam incumbunt, eamque sibi propriam quasi fecerunt. Quare operae pretium fuerit, iis examinandis improbum laborem impendere, atque adeo brevius, & quantum fieri poterit, perspicuo sermone ostendere, quid verum in iis, aut falsum reiiciendum item, aut amplectendum, videatur. Quodcum neminem facile vitio nobis daturum confidamus, tum ipsi illi agere ferre non debent, si, idem, quod in aliorum scriptis examinandis sibi sumunt, in suis sibi ferendum, cogitabunt.

Et si



ver
ca
qu
riu
mo
fer
bu
qu
sec
ter
du
ide
pt
nil
im
De
no
co
fig
tig
ad

I.



Tſi Deus immortalis, inde a principio. & iſſis huius uni-
verſitatis primordiis, aperte
ac perſpicue ſeſe revelavit, &
cum naturam ſuam, eſſentiam
ac voluntatem, tum omnia,
quæ nobis ſcitu ac creditu ad
ſalutem neceſſaria ſunt, in

verbo ſuo per Prophetas & Apoſtolos incul-
cavit, nihil uti ad ejus perfectionem, quantum
quidem in hac imbecillitate opus eſt, addi ulte-
rius poſſit; Ipſe ille tamen præterea naturæ lu-
men mentibus noſtris in ipſo ortu noſtro in-
ſeruit, ut ejus beneficio multa de ipſo ac aliis re-
bus naturaliter cognoscamus. Hoc enim eſt,
quod Apoſtolus, non tantum, quod Deus ſit,
ſed etiam inviſibilia ejus, hoc eſt, æternam po-
tentiam, gloriam & incorruptibilitatem, naturæ
ductu inveſtigari, & ex eo ſciedam ethnicorum
idololatriam redargui poſſe, aſſerit, ita, ut pro-
pterea, ethnicos inexcufabiles futuros, dicat,
nihilque habere amplius, quod ignorantie ac
impietati ſuæ prætereſtere poſſent, qui, cum,
Deum aliquem eſſe cognocerent, ipſum tamen
non ut Deum, & ut ejus majeſtate dignum erat,
coluerunt. Donum proſecto, quo nullum in-
ſignius poſt cœleſtia oracula humano generi ob-
tigiffe, omnes omnibus ſeculis docti judicarunt,
ad quod non ducit, ſed rapit nos natura noſtra,

QUÆST. I, AN SIT COGNITIO

& cui nemo recte natus rationeque ac intelligentia præditus unquam se subducere potuit magis, quam ipsi universi orbis hujus theatro.

II. Dicitur communiter *Notitia naturalis*, ex concreata primitus parentibus nostris, sed deinceps turpiter amissa, imagine DEI, cujus illa vestigia & rudera quædam continet residua, unde & reliquæ imaginis divinæ a Theologis, a Jureconsultis vero lex, seu jus naturæ, & a Philosophis νοιναι ἐννοια, principia & axiomata nobiscum nata, itemque διακον ἐμψυχον appellari solet. Naturalis autem non tam inchoative, quod potentia & aptitudo quædam naturalis sit, quæ per discursum ex creaturarum consideratione haustum se exerat, ut postea ostendimus; quam originaliter & inhæsiue, quod non ex peculiari a DEO facta revelatione, sed ex ipsa natura, tanquam propinqua causa proficiscatur, hominique quamprimum in hanc lucem editur, insit, ac per ipsum postea naturaliter in posteros propagetur, sicut naturale homini est, videre, ridere, intellectum ac voluntatem aliaque similia habere, quo respectu etiam lex naturæ innata & cordibus inscripta ab Apostolo dicitur.

III. Multa vero tam theoretica, quam practica, ad notitias istas pertinent: & Theoretica quidem, quod Deus sit, quod sit unus, justus, æternus, omnipotens, incorruptibilis, sapientissimus, qui omnia, quæ nos gerimus, audiat ac videat,

deat, item quodlibet est, aut non est, totum est majus sua parte, & similia; Practica vero, Deum esse colendum, parentes honorandos, neminem lædendum, suum cuique tribuendum, & id genus alia. Nos tamen, omiſſis cæteris, ea saltem, quæ de Deo ejusque cognitione ex natura erui ac deduci possunt, pertractabimus, cum pars illa notitiarum naturalium sit omnium præcipua & nobilissima, ex qua reliquæ, tanquam ex fonte quodam perenni, sponte emanant: nam, si, Deum esse, non credas, qui sit vindex scelerum, ac remunerator recte factorum, quomodo aut eum recte colas, aut ab injuria proximi abſtineas? Unde, hac doctrina recte ac legitime tradita, quid de cæteris sit sentiendum, proclive erit deducere.

IV. *Tres autem in universum Quaestiones de ea proponemus.* Ac primo quidem τὸ ὅτι, seu *Annotitia de Deo naturalis detur*, ostendemus. Deinde τὸ τί ἐστίν, *Quid illa sit*, ac denique τὸ πῶς, καὶ τὸ διότι, *Quæ & Qualis sit, & quousque homo ejus beneficio pertingere queat*, considerabimus. Cognoscendum enim est ante omnia, an res sit, de qua disputatur, priusquam de reliquis aliquid aggrediamur.

V. Neque tamen nunc ea argumenta afferemus, quæ ex verbo Dei & revelatione Prophetis & Apostolis facta hauriuntur, quæque a Theologis adducta jam sunt, & in libris eorum hodieque passim leguntur. Etsi enim Scriptura sacra non ea tantum dogmata pandat, quæ na-

turali rationi impervia sunt, & per peculiarem gratiam DEI ac Spiritu sancti nobis innotescunt, qualia sunt omnia mysteria fidei de Trinitate personarum in divinis, de mysterio incarnationis, & quæ ex iis pendet, æterna nostra salute, sed ea etiam, quæ naturaliter de Deo cognoscuntur, & ex principiis naturaliter notis erui alias possunt; etsi item longe certior & exquisitior DEI & rerum divinarum notitia sit, quæ ex verbo DEI, quam quæ naturæ ductu paratur, quod illa ex lumine revelationis longe eminentiori ac nobiliori, quam lumen rationis est, oriatur, non tamen ideo limites scientiarum movendi, aut objecta ac principia diversarum disciplinarum confundenda sunt, præcipue cum contra infideles, aut alios impios & atheos est disputandum, qui nec verbum DEI, nec, quæ hoc nritur, revelationem divinitus factam, amplectuntur. Unde & a primis Ecclesiæ seculis præsci illi Christianæ fidei antistites ac ὑπερασπισται, S. Irenæus, omnium ferme antiquissimus Ecclesiæ Doctor, toto lib. 1, contra hæreses, Justinus martyr Apolog. 11, ad Antoninum Pium, Athenagoras itidem Apologia, quam ille legationem pro Christianis susceptam vocat, Tertullianus, Lactantius, Theodoretus, Augustinus, & alii, ex ipsorum ethnicorum scriptis impietatem & idololatriam gentilium, cum magno nascentis Ecclesiæ commodo, profligarunt. Et, quamvis plerique eorum mox alia ex libris prophetarum deprom-

pta

pta subjungerent, id tamen ideo factum non est, quod argumenta naturalia vel non vera, vel paris prorsus auctoritatis esse cum Scriptura sacra, aut verbum DEi dogmata omnia & credenda sufficienter non complecti, statuerent, sed, ut eo facilius expugnarent, quorum errores utroque illo ariete impeterent. Nec fieri aliter tum poterat, quippe quibus propositum erat, non tantum paganismi absurditatem demonstrare, aut doctrinam de Deo inculcare, ut scibile quid, sed & ut credibile & articulum fidei, per quem fides in animis auditorum accenderetur, quod ex solo Dei verbo fieri potest. Fides enim eorum est quæ creduntur, non propter ullam demonstrationem, sed propter auctoritatem Dei dicentis, qui mentiri non potest; quæ autem ex natura petuntur, aut alias exactis & accuratis demonstrationibus nituntur, non fidem, sed scientiam, gi-gnunt, nec articuli fidei proprie sunt, sed articulo-rum illorum quædam quasi primordia, seu, ut S. Thomas p. I, q. II, art. II, ait: *Deum esse, & alia huiusmodi, quæ per rationem naturalem nota pos-sunt esse de Deo, ut dicitur Rom. I, non sunt articuli fidei, sed præambula ad articulos.* Sic enim fides præsupponit cognitionem naturalem, sicut gratia naturam, & ut perfectio perfectibile. Nihil tamen prohibet, subjungit, illud, quod secundum se demon-strabile est & scibile, ab aliquo accipi ut credibile, qui demonstrationem non capit. Nos autem, quia nec de revelatione proprie dicta nunc agimus, nec, unde aut quomodo Deus fidem peculiariter in-
ani-

animos fidelium impluat, ostendimus, igitur ne metas nobis propositas excedamus, ea saltem argumenta, quæ ex naturali lumine depromuntur, & bonam partem a Philophis gentilibus excogitata sunt, in medium adducemus, cætera, quæ ex verbo Dei, aut ex reliquiis imaginis Dei, petuntur sublimiori disciplinæ relinquentes.

VI. Atque, ut ad rem ipsam ac primam Quæstionem accedam, *Verum, Deum esse, ope luminis naturalis investigari ac cognosci possit?* digna ea est, & cum primis necessaria, ut paulo accuratius explicetur, præcipue cum non olim tantum de ea disputatum sit, & in partes itum, sed nec hodie quidem inter omnes usque adeo conveniat, quin vel tota quæstio, vel saltem magna ejus pars, negetur. Sane jam olim Plato minus recte hæc explicavit. Etsi enim ille notitiam Dei naturalem recte astrueret, in eo tamen erravit, quod, non Dei duntaxat, sed omnium omnino rerum, cognitionem homini innasci, censeret, eam autem delitescere, & quasi oblivione sopiri, cum nascimur, deinde successu temporis ex profundo somno reviviscere, unde &, cum aliquid discimus, nos non simpliciter discere, sed recordari potius, nec novam acquirere scientiam, sed ante habitæ reminisci, totam denique cognitionem nostram nihil aliud, quam reminiscentiam, esse, uti id ex ipsius Platonis scriptis, præcipue Phædone, Menone, & lib. X, de Republ. Alcino lib. de doctrina Platon. cap. IV. Proclo comm. in Alcibiad. Platon. de an. & dæmon.

mon. Marsil. Ficino comm. in Platon. orat. VI, cap. XIII, Caelio Rhodig. lib. X, antiq. lection. cap. XVI, & lib. XX, cap. IX, constar. Cui opinioni stabiliendæ, Plato novam hypothesein ex Pythagoræ schola jact, de animarum creatione ac μετεμψυχώσει, qua in re deceptus est summus Philosophus, dum, animam cœlitus in hoc corpus deferri, eique tanquam carceri ad tempus includi, existimavit, ac postea migrare de corporibus vetustate ac morte confectis, & insinuare se novis ac recens natis, & easdem semper renasci, modo in homine, modo in pecude, modo in bestia, modo in volucre, quemadmodum & ipsius, & affectarum, sententiam Lactant. lib. VII, Divin. Instit. cap. XII, extr. describit, Hunc præceptoris sui errorem Aristoteles quidem recte confutavit, uti pleraque Platonis solet, sed, dum, omnium rerum intelligentiam homini ingenitam esse, recte negat, ipse imprudens in contrarium errorem prolapsus videtur, & hominem nullarum rerum, cum nascitur, cognitionem asserre, existimavit, sed intellectum nudæ tabulæ instar habere, cui nihil dum inscriptum sit, inscribitamen quidvis possit, ubi ætas provehitur, unde & lib. III, de an. cap. IV, ait: Δυνάμει πῶς ἐστὶ τὰ νοητὰ ὁ τῶς. ἀλλ' ἐντελεχεία ἔδδεν, πρὶν αὖ μὴ νοεῖ. Δεῖ δ' ὅτι τῶς, ὡς περὶ τὴν γράμματιν, ὃ μὴδεν ὑπάρχει ἐντελεχεία γὰρ γραμμένον, ὅπερ συμβαίνει ἐπὶ τῷ τῷ. *Intellectus potentia quodammodo ipsa intelligibilia est, actu vero ni-*

A 5

bil

bil est eorum, anteaquam intelligat ipsa. Oportet autem in ipso nihil esse, perinde, atque in tabula nihil est actu scriptum antea, quam in ipsa scribatur: hoc enim in ipso fit atque accidit in intellectu. Sed dum præceptorem discipulus reprehendit, ipse in eodem luto hæret: Si enim nihil in intellectu est, sed omnium rerum notitia sensu aut experientia acquiritur, certe nec principia omnium prima, nec ipsa lex naturæ cordibus hominum inscripta erit, vel, si inscripta est, ut equidem prorsus credo, aliquid saltem in intellectu fuerit. Quare, uti non omnia a nativitate statim cognoscimus, ita nec rursus omnia ignoramus, ut id suo loco probabimus.

VII. Cæterum, longe pejora, si non & absurdiora, alii nonnulli ex Christianis docuerunt: certe intolerabilis prorsus est, impietasne dicam, an nequitia, Petri de Alliaco in I, dist. III, q. III, Joh. de Bassolis in I, dist. II, q. I, art. III, & dist. III, q. I, art. III, Majoris dist. III, q. I, Casparis Cassalii lib. I, de quadripartita iustitia, ita totam Dei notitiam interpolantium, ut, ne quidem a posteriori demonstrari posse, dicant, ut Bellarm. lib. IV, de grat. & lib. arb. cap. II, Greg. de Valent. T. I, Disp. I, in Thom. quæst. II, punct. II, Tanner. Disp. II, q. I, dub. III, Pesant. in I, part. Thom. quæst. II, art. II, disp. I, agnoscunt: Suarez etiam, T. I, in Thom. l. I, de div. essent. c. I, n. 15, modernos sentire, ait, *posse veritatem banc, quod Deus sit, ex creaturis multum suaderi,*

6

*Et cum magna probabilitate, etiamsi evidentem assensum non præbeat, quia illa persuasio est fati, ut sint inexcusabiles, qui non assentiuntur, vel Deum non glorificant, ut verum Deum. Hæc ita illi, digni profecto, qui ethnicis aut paganis accensentur, certe ipsis paganis stupidiores, qui ea negant, quæ nec Aristoteles, nec quisquam alius saniorum gentilium unquam in dubium vocavit, idque tam certum est, ut ex Pontificiis doctissimi quique eorum sententiam, ut erroneam, temerariam, & gravi censura dignam, traducant: quare operæ pretium non est, in iis refutandis diu immorari, præcipue, cum nullas aliclas & patronos invenerint, nisi, quod novi in Polonia & Transylvania Samosateniani idem nunc asserant, qui, uti pleraque alia, recte jam pridem tradita, de industria labefactarunt, ut nihil ferme, præter appellationem, cum Christianis commune habeant, ita nec hanc partem ita approbare potuerunt, quin totam propemodum, quantum in ipsis fuit, una litura inducerent, & sua ei placita substituerent. Audiantur nunc duo tantum eximii ipsorum Doctores Faustus Socinus, & Christophorus Ostorodus. Et Socinus quidem, in prælect. Theol. cap. 11, expresse scribit: *Recepta hodie sententia est, homini naturaliter ejusque animo insitam esse divinitatis alicujus opinionem, cujus vi cuncta regantur ac gubernentur, quæque humanarum rerum in primis curam gerat, hominibus consulat atque prospiciat.**

Et

Et hanc sententiam ille falsam esse dicit. Ostro-
 rodus vero adhuc apertius, in Institut. germ.
 cap. 1, p. 10. Wir wollen von dem auch etwas
 sagen/ ob es auch war sey/ daß der Mensch von
 Natur so weyse gewesen/ und noch ist sey/ daß er
 auß der blossen Betrachtung der Schöpfung/
 Gott vnd seinen Willen/ ohne sonderliche göttli-
 che Offenbahrung hab erkennen können? Wir
 halten es dafür/ daß es falsch sey. Et paulo post:
 Daß aber die Menschen von Gott/ oder von der
 Gottheit/ etwas wissen/ daß haben sie nicht von
 Natur/ noch auß der Betrachtung der Schöpf-
 ung/ sondern von hören sagen/ sintemahl sich
 Gott von anfang den Menschen offenbahret hat.
 Zu welcher Gehör aber solches nicht gekommen ist/
 die haben leichtlich wol gar keine opinion oder Ge-
 dancken von irgend einer Gottheit/ wie zu ersehen
 an etlichen Völkern in new India/ und anders-
 wo mehr. Vnd zwar wan die Erkenntnis Got-
 tes natürlich were/ so hetten sie alle Menschen.
 Daß aber solches falsch sey/ kan man zum wenig-
 sten daher mercken/ daß ihrer viel nicht allein unter
 den Idioten/ sondern auch unter den Gelehrten alle
 wege gefunden/ welche nicht gegleubet/ daß Gott
 sey/ oder daß er für die Menschen sorge/ welches
 auch etliche Philosophi etwan sich nicht geschewet
 haben/ öffentlich zu lehren. Pulchre omnia, uti
 solent, nec potuerunt illi homines (si tamen ho-
 mines, & non potius hominum monstra ac pro-
 digia sunt, ipsis ethnicis impuriora) præclarius
 docu-

docu-
 essen
 nem
 apu
 Pro
 Ecc
 cell
 Syst
 V
 uti
 hac
 cet
 bi h
 fran
 quia
 Deu
 ex
 scer
 ne
 niq
 stru
 Et h
 spir
 pro
 quia
 qua
 ran
 n, a
 Gr
 lina

documentum dare, quo cognosceretur, quam essent ab omni prorsus ratione alieni, & pepo- nem pro corde gererent. Horum argumenta apud Reverendissimum Selandiæ Episcopum & Prof. Regium Dn. BROCHMANNUM, de Ecclesiis Lutheranis, ac præsertim Danicis, excellentissime meritum Theologum, Artic. III, System. Theol. cap. II, quæst. I, videantur.

VIII. Sed nec reliqui longe ab his discrepant, uti patebit, si attendantur ea, quæ Scholastici hac de re, & præsertim Thomas Aquinas, docet: nam part. I. Summæ, quæst. II, art. II, cum si- bi hanc quæstionem, *utrum Deum esse sit demon- strabile*, examinandam proposuisset, respondet quidem ad 3, *ex effectibus Dei posse demonstrari, Deum esse*, quod vero idem quoque a priori & ex ipsa natura notum sit, non videtur agno- scere, unde & non aliter, quam ex motu, ratio- ne causæ efficientis, possibili & necessario, de- nique rerum gradibus & gubernatione, id a- struit, quæ probationes omnes sunt a posteriori. Et hanc sententiam plerique omnes, quasi con- spiratione facta, hodie tuentur, nisi, ubi Scotus, pro more suo, ab iis dissentit. Et Thomam quidem sequuntur Richardus I, dist. III, art. I, quæst. II, Hervæus, ead. dist. III, quæst. II, Du- rand. dist. III, quæst. III, Capreol. dist. II, quæst. II, art. II, Ferrar. I, contra gentes cap. X, & XI, Greg. de Valent. quæst. II, punct. I, Ludov. Mo- lina, art. II, Suarez T. II, Metaph. Disp. XXIX, seæ.

fest. III, Vasquez Disp. XIX. Cajetan. Bannes, Tannerus, Pefantius, & omnes Thomistæ hic quæst. II, art. II.

IX. Idem Thomas, cum art. I, multis disse-
ruiſet, *Utrum, Deum esse, sit per se notum?* ita ad
quæſtionem tandem respondet, ut dicat, pro-
positionem illam, *Deus est*, per se notam esse ab-
ſolute, non per se notam nobis. Subjungit au-
tem propositionem, per se notam esse eam, *ubi*
prædicatum includitur in ratione subjeſti, ut, homo
est animal; nam animal esse de ratione hominis.
In qua definitione Scotus id reprehendit, quod
multæ sint propositiones per se notæ, ut, nix est
alba, homo non est leo, calor non est frigidus,
in quibus prædicatum non sit de intrinseca ra-
tione seu, essentia subjeſti. Ad hæc interpre-
tes, ut magiſtrum tueantur, varie solent respon-
dere. Nonnulli igitur, illud, *includi in ratione*
subjeſti, seu, *esse de essentia subjeſti*, aliquando
notare prædicatū essentiale, dicunt, sicut ani-
mal est de essentia hominis; aliquando id, quod
fluit ab essentia subjeſti, ut sunt proprietates &
passiones, quæ immediate ab ea derivantur, id-
eoque & de primo, & adæquato suo subjeſto
per se prædicantur: Thomam itaque utramque
significationem compleſti. Sed Gregorius de
Valentia, ubi supra, non tradidisse ibi definitio-
nem propositionis per se notæ D. Thomam,
asserit, nec dixisse unquam, aut sentire, solam
talem esse per se notam, sed voluisse saltem pro-
ponere

ponere exemplum propositionis per se notæ, quod esset maxime ad illius institutum, alias concedere se, eam latius patere, cum & eæ propositiones, quæ experientia innotescunt, sint per se notæ: omnem quidem propositionem, in qua prædicatum est de ratione subiecti, esse per se notam, sed non contra. Et hoc modo quoque S. Thomæ sententiam a Capreolo in 1, dist. 11, quæst. 11, art. 11. Ferrar. l. 1, contra gentes, capp. x, & xi. Cajet. quæst. 11, art. 1, Vasq. Disp. ix, n. 6, aliisque recentioribus, explicari, Tannerus ait, qui ipse tamen aliam ejus explicationem ex Hervæo, dist. 11, quæst. 11, Durand. quæst. 11, n. 4, Capreolo, art. 1, & Suarez, assert, hoc enim non sufficere ad propositionem per se notam, sed requiri, ut sit prima & immediata, hoc est, ut alia demonstratione opus non habeat, nec ex aliis, sed suis terminis innotescat. Si quæ enim per aliud medium demonstrabilis sit, jam eo ipso non esse primam, immediatam, & per se notam, sed per medium demonstrationis, unde & in alias, se priores, propositiones resolvitur possit. Atque ita explicatam per se notam propositionem eandem esse, quam Aristoteles, lib. 1, post. anal. cap. 11, dicit immediatam, quæ non est alia prior, eamque huic conformem Ant. Ruvio, in lib. 1, post. anal. cap. 11, quæst. 11, n. 17, ostendit. Eam enim propositionem, cujus prædicatum includitur in ratione intrinseca subiecti, non habere medium, per quod possit

possit demonstrari.

X. Hanc propositionem vero, per se notam & immediatam, eo modo traditam, rursus Thomas dividit in eam, quæ talis est secundum se, non quoad nos; & aliam, quæ est secundum se, & quoad nos. *Si notum sit omnibus de predicato & de subiecto, quid sit, Propositio illa erit omnibus per se nota, sicut patet in primis demonstrationum principia, quorum termini sunt quadam communia, quæ nullus ignorat, ut ens & non ens, totum & pars, & similia. Si autem apud aliquos notum non sit de predicato & subiecto, quid sit, propositio quidem, quantum in se est, erit per se nota, non tamen apud illos, qui predicatum & subiectum propositionis ignorant, inquit Thomas, ubi supra. Hoc vult dicere, propositionem per se notam quoad nos esse, cum de terminis, per quos solos ea innotescit, omnibus constet, quales isti, totum & pars, ens & non ens, quorum notitiam effugere nemo queat; per se notam vero absolute, quæ etsi ex se sine ullo alio medio cognosci possit, nos tamen terminos ejus ignoramus. Unde Disputationem illam ita claudit, ut dicat, eam propositionem, Deus est, quantum in se est, per se notam esse, quod predicatum idem sit cum subiecto, Deus enim est suum esse, sed quia nos non scimus de Deo, quid est, non est nobis per se nota, sed indiget demonstrari per ea, quæ sunt magis nota quoad nos, & minus nota quoad naturam, scilicet per esse & sus.*

XI. Contrarium docent Scotistæ. Ipse Scotus

in

in
fun
qua
i, d
qu
not
trin
Th
def
ex
ejus
qui
evi
ma
dit
spic
jus
min
est p
nec
pos
se,
pos
sit p
die
fi n
que
clu
nul
stri
ea,
nor

in 1, dist. 11, quæst. 11, itemque Henr. Gandav. in summ. art. 111, quæst. 11, Occam in 1, dist. 111, quæst. 111, Gabr. ib. quæst. 11, Greg. Arimin. in 1, dist. 11, quæst. 1, art. 11, quibus primo displicet, quod Thomas dixerat, propositionem per se notam esse, cujus prædicatum includitur in intrinseca ratione subiecti. Unde & aliter, quam Thomas fecerat propositionem per se notam definiunt. Scotus: *Propositio per se nota est, quæ ex terminis propriis, qui sunt aliquid ejus, ut sunt ejus, habet veritatem evidentem, & non propter aliquid aliud, quod sit extra terminos proprios, habet evidentiam, sed ex se tantum, ut omne totum est maius sua parte.* In qua definitione vere se pandit τοῦ ὅτι, quamvis raro admodum sit perspicuus. Occamus, ubi supra, talem vocat, ad cuius notitiam causandam sufficit notitia suorum terminorum. Et Gabr. ibid. *propositio per se nota est propositio necessaria, non dubitabilis.* Deinde nec id in sententia Thomæ probant, quod propositionem per se notam dicat aliam secundum se, & aliam quoad nos: nec enim posse esse propositionem per se notam secundum se, quæ non sit per se nota nobis, cum omnis propositio nota dicatur, in respectu ad nostrum intellectum, qui si nullam propositionem cognosceret, nullam quoque propositionem notam esse. Unde concludunt denique, hanc propositionem, *Deus est*, nullo modo esse per se notam, nec respectu nostri, cum negari possit. nec in se & absolute, cum ea, quæ respectu nostri non est, in se nota esse non possit.

XII. Quod igitur tanto molimine extruxerat Thomas, id eodem & majori, quantum in ipso est, oppugnat Scotus, &, quod hic probat, id alteri rursus displicet, ut plane nesciant, quid dicant, & lufum potius ingenio præbere, quam serio rem agere, videri, queant. De quo ut universo orbi constaret, Johannes de Rada, Aragonius, Pactensis Ecclesiæ Archiepiscopus, ex ordine minorum Reg. observant, assumptus, ingenti volumine, quod de controversiis inter S. Thomam & Scotum conscripsit, ad perpetuam rei memoriam extare voluit. Nec id inter vetustiores tantum, sed & recentiores quoque, ipsosque adeo Jesuitarum coryphæos, Suaresium ac Vasquesium, Hispanos, non sine singulari quodam providentiæ divinæ nutu, ut Tannerus autumat, usu venit, de concursu gratiæ & lib. arbitrii, de prædeterminationibus divinis, operatione & efficacia Sacramentorum, & similibus quæstionibus aliis, qua de re quoque Ludov. Vives, comm. in lib. xviii, Augustini de Civ. Dei, cap. xviii, conquestus est: *Disputant Theologi, inquit, an potentia creandi possit communicari creature, de quo multa Thomas, cujus argumenta nititur infirmare Scotus, ut sua confirmet: que labefactare conatur Occam, ut sum figat, at ista quoque Petrus Aliacensis luxat: usque adeo vel ludunt in re seria, vel affectibus & factionibus suis cogunt rem cælestem subservire: qui mores possunt emendari, qui sedari, & tolli pravi affectus, qui sie-*

ri

*ri divini ex doctrina dissidiis agitata, & tracta ver-
saque sursum pro libito affectuum humanorum, con-
cussa machinis tam pertinaciter litigantium? Ita e-
nim fieri solet, cum, subtilitate magis, quam ve-
ra ac solida eruditione, instructi, ad controver-
sias pertractandas accedunt, ut plerique aliorum
inventis interpolare, iisque nova quædam placi-
ta substituere, malint, quam recte inventis uti,
donec tandem contentione sectarum discordan-
tium multa intricentur magis, quam evolvantur,
ac curiosa nimiaque subtilitate pleraque suffo-
centur. Cujus rei qui longam querelam legere
velit, adeat eundem Vivem, in lib. xi, August.
de Civ. Dei, cap. xi, & Melchiorum Canum,
Episcopum Canariensem, lib. viii, Loc. cap. i,
& lib. ix, cap. i, & ex nostris D. Lutherum,
Tom. i Lat. Jenensi.*

XIII. Etsi autem hæc illi ita inter se dispu-
tent, reperiuntur tamen & alii, qui & ipsi bo-
nam partem in sententiam Thomistarum con-
cedunt. Equidem Ludov. Crocius, lib. iii
Syntagm. Theol. cap. ii, pag. 412, diserte
scribit: *Deum esse, sive actu existere, est qui-
dem per se notum secundum naturam, quia
prædicatum ejus absque medio etiam secundum
rationem subjecto inest, adeo, ut, qui iremi-
nos ejus perfecte intelligit, non possit de veri-
tate illius dubitare, non tamen secundum nos,
quorum notitia a sensibus incipit, quia sub-*

B 1

jecti

jecti ratio nobis, ad Dei cognitionem aspirantibus, adhuc est incognita, imo nunquam in hac quidem vita perfecte innotescit, ideoque non nisi prævio aliquo discursu huic propositioni assentimur. Ita enim Deus nobis nunc ignotus est, sicut nos vermibus, qui intra ventrem nostrum gignuntur, qui ob suam parvitatem & nostram magnitudinem, quod nos simus animalia rationalia, non percipiunt, sed pungunt intestina, & in nobis vivunt, quasi intra corpus exsensus habitantes. Quibus gemina ferme habet Wendelinus lib. I, Christ. Theol. cap. I, thes. II, n. II. *Esse Deum, cum, natura notum esse, dicimus, hoc volumus, hominem ratione sua, quæ post lapsum ei reliqua est, etiam absque speciali revelatione, ex tot creaturarum consideratione posse scire, & scire, Deum esse.* Et mox in respons. ad I. argumentum Socinianorum: *Natura insitam esse homini notitiam Dei, cum dicimus, hoc volumus: Hominem rationis usu pollentem, duce ratione sua, absque speciali patefactione, per solam rerum oculis obviarum considerationem, posse cognoscere, Deum esse, & hoc etiam cognoscere, quicumque rationem & sensus suos exercent.* Idem jam ante quoque Timplerus lib. III, Metaph. cap. I, quæst. IX, docuerat: cum enim quæisivisset, An ullius principii cognitio sit homini innata? Statuitur thesis negativa, respondet. Et lib. IV, cap. II, quæst. II. *Si quæstio, an homini naturaliter sit notum, Deum esse, in secundo sensu intelligatur, quod sit homini innata, thesis illius negativa est vera.* Id enim

eni
sim
ine
sive
edi
voc
non
nec
con
ciu
fiat
ab
par
libi
gi,
inte
gu
den
re p
alia
Y
dun
bus
just
Cer
fibi
nec
dic
III,
qua

enim proprie dicitur actu innatum esse homini, quod simul, ac homo in utero matris est genitus, cepit ipse inesse. Jam autem tantum abest, ut homo infans, sive in utero matris adhuc conclusus, sive in lucem editus, statim actu cognoscat, Deum esse, ut neque vocabulum ipsum, quo Deus in sua lingua materna nominatur, ob rationis infirmitatem intelligat, donec, progressu ætatis, usus rationis per naturam ipsi concedatur. Nec dissentit ab his Matthias Flacius Illyricus, vir cæteroqui longe doctissimus, si absque uno aut altero dogmate, imprudenter ab eo excogitato, & paulo vehementius, quam par erat, propugnato, fuisset. Is igitur, cum a libi, tum præcipue in Clavi Scripturæ, voce legis, f. 563, dicit, notitiam Dei naturalem magis intelligendam esse de potentia, quam actu, seu, magis de ipsa rei sciendæ perspicuitate, aut obvia evidentiâ, quam de hominis perspicuitate, aut etiam vere percepta notitiâ, sicut docti distinguere solent, alia esse, per se, suave natura, alia nobis nota.

XIV. Arminiani in Belgio quid sentiant, nondum certo constat. Cum enim a Professoribus Leydensibus in censura ad confessionem jussi essent sententiam suam eloqui in Examine Censuræ cap. 1, p. 25, adhuc claudicant, & tum sibi non propositum esse, id declarare, tum non necessarium & superfluum esse, ut declaratur, dicunt. Cæterum Simon. Episcopus, Disput. III, privata de cognitione Dei, Corollarium II, quærit, *An cognitio Dei sit naturalis* & respondet,

B 3

Distin-

Distinguendum esse. Vorstius quoque, in notis ad Disp. 1 de Deo, p. 128, scribit: *Non existimamus, innatam esse nobis aliquam Dei notitiam: cum, proprie loquendo, nullius rei cognitio homini videatur innasci? sed universa, suo demum tempore per sensum & intellectus operationem acquiri.* Hactenus tamen ita vocari potest, quatenus ope & praesidio solius naturæ, h. e. rationis naturalis, & hinc extructæ philosophiæ, homines huc usque pervenire possunt, ut saltem, Deum aliquem esse, suspicentur, quippe quod naturali rationi valde consentaneum est. Hanc sententiam defendit postea in Apolog. cap. 1, p. 1, eaque nihil verius dici posse, ait, cognitionem enim Dei paulatim per sensum & rationis usum acquiri, itaque, proprie loquendo, innatam dici non posse, sed secure asserendum, nec actua-lem, nec habitua-lem Dei notitiam nobis innatam esse. Et, pag. 3, rationes nonnullas affert, quod naturalia simpliciter necessaria sint, & in omnibus specierum individuis aequaliter insint, utraque vero hæc Dei notitia neque re ipsa omnibus hominibus insit, neque, quibus inest, aequaliter bis omnibus insit, siquidem multos olim repertos, atque adhuc reperiri, qui, Deum esse, negarint, multos, qui de eo dubitarint. Et, p. 4, addit, naturalem Dei cognitionem non nisi eatenus admitti posse, quatenus ipsa cognoscendi facultas nobis innata est, quæ deinde ex principiis naturalibus colligat, Deum esse.

XV. Sed ad institutum & Scholasticorum disputationes revertamur. Notetur autem primo,

mo, quæstionem hanc, de propositione per se nota, duobus modis intelligi posse: 1, de cognitione habituali, quæ homini insit per modum habitus naturaliter impressi, sine operatione mentis. 2, de cognitione actuali, quæ a nobis progressu temporis acquiritur, & tum quæri, an sola natura, sine institutione, aut alio externo medio demonstrandi, ad Dei cognitionem acquirendam sufficiat. Et de priori quidem potissimum nobis quæstio est. Deinde & id notandum, propositionem per se notam, seu primam, ita dici, non, prout nobis primo omnium occurrat, sic enim alia forte a nobis prius apprehenduntur; sed ratione cognitionis nostræ, unde & per quod medium nobis innotescat? Tercio observetur, per se notam dici, in respectu ad eam, quæ alio medio extra se opus habet, per quod demonstretur, ipsa vero ex nullo alio, sed vel ex natura, vel propriis terminis, innotescat, Denique addendum & hoc, propositionem per se notam secundum se dici, quæ habet immediatam adeoque per se notam connexionem, ut, si absolute spectetur, sine alia probatione cognoscibilis sit, etsi, ut objicitur nostro intellectui, ejus veritas nos lateat, quemadmodum multa sua natura perspicua sunt, ad quæ nos, sicut versperationes ad claram lucem, cæcutimus. His suppositis, dicimus, propositionem eam, *Deus est*, & secundum se, & quoad nos, per se notam esse. Et quidem, si de cognitione

habituali quæstio sit, esse eam una cum reliquis principiis naturalibus mentibus hominum inscriptam, si vero de actuali, ex se & suis terminis apprehendi, & Deum tam notum esse, quam notum est, idem non posse simul esse, & non esse. Et hæc tam manifesta sunt, ut a nonnullis Scholasticis Doctoribus agnoscantur, Alberto in Summ. tract. iii, quæst. lvii, Bonavent. in i, dist. iii, quæst. ii, Argentina, dist. iii, quæst. i, art. iii, Abulensi, in Exod. v, quæst. ii, Lyran. ib. & ex recentioribus Michaelē de Palatio, quæst. v, prolog. nec negare id Greg. de Valent. Tannerus, Pesantius, ac Suarez, possunt, quin iis insuper Anselmum in prolog. Alufiodorensem, l. i, Summ. c. i, Alensem, i, p. q. iii, m. ii, & iii, Aureolum, in i, dist. ii, part. ii, quæst. i, art. vi, adjungunt, qui existimarunt, *Deum esse non solum per se notum, sed & quoad nos. Esse enim nobis divinitatis quandam opinionem a natura inscriptam, ut non possit concipi, Deum non esse.* Hæc isti Doctores, non minoris plerique doctrinæ & auctoritatis, certe vel paræ vel majoris, quam Valentia, Tannerus, aut Pesantius, fuerunt. Quæ uti manifesto cum sententia nostra conveniunt, ita longe ab iis discrepant, quæ reliqui adversarii hac de re docuerunt, uti vidimus. Quin ipse Thomas interdum non obscure in nostram sententiam concedere videtur. Præterquam enim, quod i, ii, quæst. li, art. i, habitum principiorum naturalem concedit, ipse quoque p. i, quæst. ii, cum, art. i, sibi objecisset, *omnibus cognitionem exi-*
bendi

stendi Deū naturaliter esse insertam, ut Damascenus dicat, id autem quod tale est, nobis esse per se notum, respondet ad i, quod, cognoscere Deum esse, in aliquo communi, sub quadam confusione, sit nobis naturaliter insertum, id quod nobis nunc sufficit, neque enim perfectam & omnibus numeris absolutam Dei cognitionem hic propugnamus. Nec Suarez Disp. XXIX, Metaph. sect. III. num. XXXIV, rei evidentia convictus, id negare potest: Addiderim, inquit, quamvis in rigore non sit notum, nobis, Deum esse, tanquam omnino evidens, esse tamen veritatem hanc adeo consentaneam naturali lumini, & omnium hominum consensui, ut vix possit ab aliquo ignorari. Quo loco etiam Augustini, Tertulliani, Cypriani, & Ciceronis testimonia adducit. Sed nunc, quibus argumentis sententiam suam stabiliant, breviter considerabimus.

XVI. Quatuor autem præcipue generum probationibus Thomæ interpretes utuntur, ad ostendendum, eam propositionem non esse per se notam nobis. Et primo quidem id inculcant, quod ea per alia notiora demonstranda sit; ac deinde, quod multi etiam, supposita terminorum cognitione eandem negaverint; propositio autem per se nota quoad nos nec demonstratione opus habeat, nec negari a quoquam possit. Quod autem negetur hodie, negataque jam olim a quamplurimis sit, id exemplo Protagoræ, Diagoræ, Theodori Cyrenaici, aliorumque, manifestum

festum esse, dicunt, Et de Protagora quidem id prodidit Cicero, lib I de Nat. Deorum, & Theodorët. lib. II & VI Græcan. affect. testaturque Laertius in ipsius vita, eum librum conscripisse, cujus initium fuerit, *περὶ μὲν θεῶν ἅν' ἔχω εἰδέναι, εἰδ' ὥς εἶσιν, εἰδ' ὥς ἅν' εἶσιν.* *De diis quidem, neque utrum sint, neque an non sint, possum dicere.* De Diagora idem testantur Cicero ib. Plutarch. lib. I de placit. Philos. cap. VII, Laëtant. lib. I, cap. II, & Suidas. De Theodoro quoque Cicero, & Laertius in Aristippo. Quibus addunt populos Americanos, qui nullum penitus sensum aut suspicionem divinitatis alicujus habeant, idque historiam Indiæ attestari, ajunt. Tertio & id notant, quemadmodum omnia Dei nomina non absoluta sint, sed respectiva, ut ea, quæ causam, Deum, Dominum, creatorem, judicem & similia notant, ita nec nos cognoscere Deum ut Ens absolutum, sed in respectu ad creaturas, quarum sit causa, Deus, Dominus, creator, ac judex. A creaturis itaque incipere nostram cognitionem, per quas postea, subita quadam ratiocinatione & discursu, in DEi notitiam provehamur, adeoque huic propositioni non per se, sed per alia, assentiri. Quarto denique & inde sententiæ suæ præsidium arcessunt, quod omnis nostra cognitio primum a sensu & experientia oriatur, uti & Aristoteles docet, Intellectum enim infantis, quando primum editur, nudæ tabulæ instar habere, hoc est, potentia tantum, non actu, aliquid

aliquid continere, oportere autem prius sensu aliquid percipi, antequam intellectu apprehendatur, cum, sensu mediante, species intelligibiles formentur, sine quibus intellectus fieri non potest, imo, intelligere, nihil aliud esse, quam species intelligibiles suscipere, uti, sentire, species sensuales. Unde & vulgatum illud afferunt, nihil esse in intellectu, quin prius fuerit in sensu. Ita isti, propositionem eam ex parte nostra per se notam non esse, probant.

XVII. Verum ad hæc argumenta facile respondetur. Nam ad primum dicitur, 1, falsum esse, propositionem per se notam nobis non debere probari, nam & principia omnium prima aliunde & a posteriori cognosci nihil verar, præcipue cum nobis cum hominibus pertinacibus res sit, nec ideo illa indemonstrabilia, & immediata, aut per se nota, etiam secundum se & absolute, esse desinunt, quomodo Aristoteles contra Heraclitum & alios ipsum omnium principiorum primum, *idem non potest simul esse, & non esse*, negantes, lib. IV Metaph. sibi disputandum, existimavit, 2, observandum, cum per sensum aut inductionem ea principia probantur, non ideo id fieri, quod eorum veritas per se & naturaliter oculos nostros non perstringat, sed, ut ostendatur contra negantes, eos non rationem tantum, sed ipsum etiam sensum communem, exuisse, & cum insanissimis obbrutuisse.

Unde

Unde &, εἰς νόμους merito ablegandos, nec contra eos disputandum, aiunt.

XVIII. Eodem modo & ad alteram rationem respondendum est: nihil enim ab omni parte tam firmum & certum est, quin semper repellantur alii, qui, ex destinata malitia & petulantia quædam, omnia cum Heraclito dubia & obscura reddant. Unde & peculiare olim sed abortivum philosophorum genus extitit, qui id tantum agebant, ut nihil prorsus crederent, & ne id quidem verum videri, quod nihil verum videatur, adeo, ut, cum in foro vapulassent, domum reversi, an vapulassent, ipsi dubitarent. Quorum etiam meminit Seneca, Epist. LXXXIX, *Audi, ait, quantum mali faciat nimia subtilitas, & quam infesta veritati sit. Protagoras ait, de omni re in utramque partem disputari posse ex æquo, & de hac ipsa, an omnia res in utramque partem disputabilis sit. Nausiphanes ait, ex his quæ videntur esse, nihil magis esse, quam non esse. Parmenides ait, ex his quæ videntur, nihil esse in universum. Zenon Eleates omnia negotia de negotio deiecit, ait, nihil esse. Circa eadem fere Pyrrhonii versantur, & Megarici, & Eretrici, & Academici, qui novam induxerunt scientiam, nihil scire. Ita non omnino impossibile est, eo stultitie homines prolabi, ut nullum Deum credant. Sicut enim omnes a natura homines sumus, & tamen nonnulli omnem humanitatem deponunt, ita & Dei noticia in quibusdam, etiam in ipsa Ecclesia,*

ita

ita extingui potest, ut sint athei speculative & ad tempus, hoc est, ut in intellectu certo sibi persuadeant, nullum esse Deum, qui curam gerat mortalium, ut Apostolus quoque docet, Deum in reprobum sensum ethnicos dedisse, ac permisisse, ut mentis hoc magis expertes fierent, quo magis ipsi sanam mentem & notitiam honestatis ultro ante contempserant, & nefarie decoxerant, de quo prolixè videantur Samuel Næranus, in Gymnasio Ultrajectino, & Gisbertus Voetius, in Disput. Augurali. quam habuit d. III, Sept. M DC XXXIV, auspiciis facturus professionis Theologicæ in Gymnasio Ultrajectino, de præjudiciis veræ religionis, in corollariis Theologiæ naturalis, paradoxo II, & in Theriaste Heautontimorumenos. 2. Aliud est ignorantia pura, aliud, malitiosa negatio, seu prava dispositio, cujus causa proxima non ignorantia quædam, sed affectata malitia est, cum id scire non volunt, quod alias, si vellent, possent. 3. Bene est, quod non Thaletem, Socratem, Platonem, Xenophontem, Xenocratem, Speusippum, Zenonem, & reliquos, qui post homines natos extiterunt, masculæ sapientiæ veritatisque vindices ac custodes adducunt, sed eorum loco novos quosdam, & omnibus retro seculis ab ethnicis ipsis oppugnatos, novæ prorsus & prodigiosæ ignorantie magistros, eosque admodum paucos, & vix duos aut tres substituunt, cum nobis non unus & alter, sed universa philosophorum

Scho-

Schola, astipuletur, ut & Lactant. lib. I de falsa relig. cap. II, attestatur. Quemadmodum vero facultas generandi aut ridendi ideo naturalis & omnibus ex æquo communis esse non desinit, quod nonnulli, ejurata sponte seminarum consuetudine, non generent, aut ex morositate quadam non rideant, ita nec Dei noticia naturalis, si in quibusdam petulanter suffocetur. Unde & in hac ipsa causa Chrysost. Javellus, lib. II Metaph. quæst. I, recte ait: *Etiamsi invenirentur aliqui, qui negarent principia primo prima, propter hoc non sequitur, quin sint naturaliter cognita. Nam, quod est naturaliter cognitum, non est necesse, quod verificetur pro quolibet individuo.* 4. Sed nec de atheis, quos producant, res usque adeo liquida est, nec causa ulla est, cur, eos omnem de Deo cogitationem deposuisse, credamus, imo, causa est, cur id non credamus. Certe Socrates, etsi & ipse ab Anyto, Melito, & Lycone, oratore, impietatis accusatus, ac postea ab Atheniensibus ducentis & octoginta sententiis pluribus, quam absolveretur, condemnatus sit, uti id Cic. de Orat. & Laertius, in ejus vita, docent, falsum tamen fuit, & ab accusatoribus ejus confictum crimen, qui optimum senem circumventum volebant. Atque hic præceptoris casus sine dubio ita turbavit Platonem, ut, quod intus de vero Deo sentiret, eloqui non auderet, unde ad Dionysium, Epist. XIII, scribit: *Hinc disces tu scribam ego serio, nec ne. Cum serio, ordior epistolam ab uno Deo,*

*Deo; cum secus, a pluribus. Unde non dicit, si Diis placuerit, si Diis affuerint, sed quod Deo placuerit, Deo juvante, Deus novit, Deus fecit, quemadmodum Theodoret. lib. II de curand. Græc. affect. Bellarm. lib. IV de grat. & lib. arbitr. cap. II, Mor-næus, cap. III de Veritate Christi. Relig. obser-vant. Et sane multitudo & absurditas Deorum gentilium non risu tantum, sed omni detestatio-ne, digna erant. Ecquid enim absurdius, quam, homines pro Diis colere, eosque non tantum bonos, ac bene meritos, sed pessimos etiam, ad-ulteros, fures, homicidas, ipsa etiam bruta ani-mantia, sidera denique, lapides, & ligna? Nec ab-surdiora unquam excogitari poterant, nisi etiam vicia animi & morbos corporis adorassent: nam, febris Romæ templum exstructum, legimus, & Lavernæ furum deæ. Hæc sunt illa sacra & Diis paganorum, quos cum amplecti nollent philoso-phi, quicunque paullo cordatiores erant, pro atheis & Numinis contemptoribus habiti sunt, & ad cicutam damnati. Sic de Theodoro re-fert Epiphan. in hæres. Massilian. quod dixerit, ἀπορρίπτει τὰς περὶ θεῶν λόγους, *nugas esse, quas de Diis suis ethnici fabulantur*, unde & Hercu-lem ligneum, cum alia ligna deessent, exurebat, per ludibrium subinde ingeminans, *Age, Hercu-les, decimum tertium laborem subiturus, adesto, ob-fonium nobis cocturus*. De Diagora quoque Suidas do-*

do-

docet, ideo eum urbe ejectum, quod Initia, Atheniensium sacra, narraret omnibus ac evulgarer, aliosque, si qui initiari vellent, dehortaretur. Eundem quoque poema suum ita ordiri: *Quod a Numine summo reguntur omnia*, Morn. cap. i, de verit. Christ. relig. pag. 13, testatur. Neuter ergo verum Deum, sed ethnicorum potius Deastros, ridebat. De Americanis illarum gentium Scriptores, Benzo, Lerus, Mercator, Josephus Acosta, & reliqui, expresse scribunt, eos multos quidem Deos, in iis tamen unum aliquem summum, adorare, quem Peruviani Viracocha, item, Pachacamac, & Pachaiachacic, Mexicani Hoizoli Pochli, vocant.

XIX. Ad tertium respondetur, 1, non semper Deum considerari ut ens relativum, sed sæpe, ut ens absolutum, sine respectu ad creaturas. Sane, cum cognoscitur ut ens verum, imo, veritas ipsa, quæ est omnium primum & maxime proprium intellectus objectum, item, ut ens summe bonum, sapiens, perfectum, non relative, sed absolute, consideratur. 2, non sequi. nos huic propositioni per alia assentiri, si consideretur Deus cum creaturis, nec enim unquam aut Aristoteles, aut Thomas, illam considerationem terminorum excluderunt, sed propositionem per se notam nobis esse, dicunt, quæ alio medio non constat, sed ex ipsis terminis innotescit, quomodo-
docunque tandem in eorum notitiam penetremus. Secus enim nulla foret propositio per se
no.

nota, ne quidem illa notissima, totum est majus sua parte, termini sunt relativi, nec enim potest esse totum, quod non habeat respectum ad partem.

XX. Quod ultimo objiciebatur, omnem cognitionem esse a sensu, nec quicquam deprehendi in intellectu, quin prius fuerit in sensu, atque hoc ipsum Aristotelem dicere, id partim falsum est, partim nihil ad rem facit. Etsi enim noticia naturalis non parum illustretur per sensum, ut, si infanti totum pomum & aliquam ejus partem monstraveris, sine dubio principium innatum, Totum est majus sua parte, longe clarius ipsi feceris; falsum tamen est, omnem cognitionem per sensum primo inveni in intellectum. Primo enim nec de Dei, nec Angelorum cognitione id dici potest: Dei enim scientia non fit per discursum, aut transitum de noto ad ignotum, sed simplici rerum noticia constat: Angeli autem cum seipsos cognoscunt, id non fit per species intelligibiles sensibus abstractas; hæ enim ideo fabricantur, ut objectum materiaturum cum intellectu uniant, ipsi autem cum non materiaturum, sed immateriatum objectum sint, opus non habent, ut per species intelligibiles sibi & suo intellectui repræsententur, quemadmodum Thomas, p. 1, q. lvi, art. 1, & Scotus in 11, dist. 111, quæst. viii, Joh. de Rada, part. 11, controvers. inter Thomam & Scotum, controvers. viii, art. 1, probant. Cum vero semutuo cognoscunt, id

C

qui;

quidem fit per species intelligibiles, non quidem ex objectis, aut per sensus, acquisitas, sed naturæ ipsorum concreatas, ut recte iterum Thomas i p. q. LV, art. II, concludit. Sed nec de omni nostra cognitione id verum est, certe intellectus noster Deum & angelos, semetipsum & animam, itemque res immateriales ac universales, cognoscit, quæ sub sensum directe & per se non cadunt. Ut jam non dicam, quod vatum ac prophetarum cognitio non semper sit corporalis, hoc est, fiat per imagines ac species sensibus corporeis objectas, sed vel prorsus sine speciebus intellectualibus, vel per impressionem novarum specierum, ut si cæco nato inderentur species colorum, quomodo Apostoli olim omnium linguarum noticiam adipiscebantur. Unde & Scaliger, Exerc. cccvii, sect. XXI, recte contra Cardanum disputat; *non omnem speciem immitteri aut invehi a sensibilibus, sed quosdam connasci cum animalibus, ut, mellificationem apibus, milvi speciem pullo.* Et mox: *Afflationem quoque pii Philosphi ignovere, unde sunt vates & Sibyllæ.* Et sect. seq. xxii, *Haud alia ratione pullus milvum metuit nec metuit ardeam, nisi, quia connatam secum habet milvi speciem universalem, qua singulares milvi omnes referuntur.* Nihil quoque ad rem facit: nam I, Aristoteles non loquitur de cognitione principiorum communissimorum, quæ ex habitu innato est, sed de ea, qua aliaminus communia & ipsæ scientiæ nobis innotescunt,

&

& hæc a nobis sensu & experientia acquiri, contra Platonem recte disputat, qui, omnium scientiarum ac disciplinarum intelligentiam homini ingenitam esse, asseribat. 2, Soncinas, lib. vii Metaph. cap. xi, iterum duplicem rei cognitionem constituit, & aliam esse dicit habitualem, quæ inest per modum habitus impressi, etiam sine mentis opera, seu, ut ipse loquitur, quando species est in mente, nec tamen intelligitur, ut, cum quis scientiam rei possidet, quamvis actu non contempletur, sed vel domi, vel alias animum occupatum habet: aliam vero cognitionem actualem, cum actu ipso considerat, seu cum intellectus actu per speciem intelligit, de qua recte Aristoteles, lib. iii de an. cap. vii, dicit, *ἡ δὲ πότε νοεῖ ἀνευ φαντάσματος ἢ ψυχῆ. anima sine phantasmate non intelligit.* Etsi a Zabarella, de ordine intell. cap. xi, priorem rectius potentialem dici, existimet, posteriorem tamen iterum distinguit in originalem, quæ sit sine præcedenti habitu; & Habitualē cuius causā est habitus jam in anima præexistens: unde res eodem redit. Nostra vero quæstio non de posteriori, sed priori, seu habituali, intelligenda est. Sed esto tandem, fuerit in hac sententia Aristoteles, in eo tamen non minus ille quam Plato, quem oppugnat, hallucinatur, & cum ipse, libere a præceptoris opinione recedere, atq; aliam substituere sibi licere, existimaret, certe nec in nobis reprehendendū fuerit, si eum hac in parte linquamus,

nec id sine præstantissimorum virorum exemplo. Utenim alios mittamus, certe David Rungius in Disp. super caput i. ad Rom. part. iv, expresse scribit: *Ersi quidam philosophorum affirmant, mentem hominis similes esse tabulæ, in qua nihil sit scriptum, possint autem inscribi omnia; tamen doctrina Ecclesiæ & experientia ipsa contra docent, superesse aliquas in mentibus humanis notitias, ex ipsa natura haustas, ac proinde omnibus hominibus notas.* Eodem modo Leonh. Hutcherus. in Loc. de Lege: *In defectu peccant, qui, notitiis naturalibus simpliciter negatis, naturam humanam rase tabulæ comparant, cui nihil sit inscriptum, omnia tamen inscribi possint, i. e. qui omnis de Deo, rebusque divinis notitiæ sit expertus.* Quibus denique addimus Cl. Sperlingium, quem, ut magistrum ac præceptorem hac in parte, merito veneramus. Is igitur, cum, cap. iii. Anthrop. qq. viii & ix, multis demonstrasset, non omnem cognitionem a sensibus esse, sed aliquam a natura, addidisset etiam, illud πολυθεύλλον de notitiis acquisitis, non innatis, loqui, subiungit tandem: *Aristotelem hominem, eundemque ethnicum, fuisse, ac multis errandi occasionem præbuisse, non igitur, contempta natura, ad eum, ceu normam aliquam, confugiendum esse.*

XXI. Sed paullo pluribus sententiam Scholasticorum & aliorum hucusque exposuimus, tum, ut ostenderemus, quid illi hac de re doceant, tum etiam, ut eo rectius & facilius vera sententia

centia intelligeretur, & cognosceretur: restat nunc, ut hujus veritatem porro quoque demonstremus, & ab adversariorum objectionibus vindicemus. Etsi autem multæ rationes in promptu sint, quibus, tam a veteribus, quam recentioribus, illa optime asserta fuit, opus tamen non est, multa argumenta hic congerere, & adversariis non modio sed toto horreo admeriri: sufficiat nobis, si uno aut altero legitime ac sufficienter fuerit probata.

XXII. Ut vero eo rectius omnia intelligantur, tria adhuc notanda sunt. Unum est, quod duplex sit notitia Dei naturalis, quoad modum inellendi, una Innata, quæ & ἐμφυτὸν appellatur, & altera acquisita, seu, ἐπίκτητον. Illa est, quæ non per discursum, aut magno labore, a nobis acquiritur, sed ipsi naturæ ac mentibus nostris in ipso ortu impressa est, etiam tum, cum ratio sese nondum exerere potest. Acquisita vero, juxta Gabr. dist. xiv, q. un art. ii, est, cum potentia cognitiva, ex accurata rerum creaturarum contemplatione, vi discursus naturalis, cognoscit, tum Deum esse, tum alia etiam, quæ, ductu naturæ, vel de Deo, vel aliis rebus, naturaliter investigari possunt. Deinde utraque hæc cognitio, tam Innata, quam acquisita, iterum duplex est; Alia confusa, cum confuse cognoscimus rem, etsi ejus condiciones, causas, naturam, ac definitionem, ignoremus; Alia distincta, cum non tantum scimus, rem

esse,

esse, sed & ejus naturam & causas penetramus, vel, ut Thomas, 1 p. q. lxxxv, art. iii, definit, *cognitio Distincta est, per quam distincte & determinate res cognoscuntur*, hoc est, secundum omnes suas essentielles partes: Confusa vero & imperfecta scientia, *per quam sciuntur res indistincte sub quadam confusione*. Fatemur autem ultro ac perlibenter, omnem nostram cognitionem, quæ nobis in hac vita naturaliter de Deo competit, oppido imperfectam esse, & vix umbram aliquam Dei continere. Intellectus enim noster, qui valde imperfectus, objecto infinito perfecte non adæquatur, nec concipit illud, sicut in se est, sed tanquam in speculo ac ænigmate, ubi nimium quantum deficit! Accedit, quod alias quoque præceptis in lapsum, & infinitis erroribus, uti nunc tempora sunt, obrutus sit, quemadmodum non tantum experientia testatur, sed & ipsi ethnici non raro observarunt. Aristoteles certe, ita cæcutire mentis nostræ aciem ad res divinas, uti oculi noctuarum ad clarum lumen solis, non uno loco agnoscit, & S. Thomas *veritatem de Deo, per rationem investigatam a paucis, & per longum tempus, & cum admissione multorum errorum homini provenire, absque revelatione divina si fuerit*, part. 1 quæst. 1, art. 1, asserit. Concedimus & hoc, cognitionis nostræ certos esse gradus, ita quidem, ut principia illa innata longe clariora & distinctiora sint in adultis, quam in infantibus, qui cum rationis usu desti-

destituantur, actum secundum exercere nondum possunt. Tertio denique cognitio alia est Actualis, & alia Habitualis, de qua paullo ante, N. xx, egimus.

XXIII. His ita explicatis, utramque Dei cognitionem, tam Innatam, quam Acquisitam, demonstrabimus, & Innatam quidem tribus argumentorum generibus: primo ex principiis practicis, omnium consensu hominum cordibus inscriptis. Inprimis certum est, naturalia quædam principia de discrimine honestorum & turpium hodieque superesse, quorum ductu ethnici non tantum noverunt, sed & quadantenus fecerunt, quod legi Dei consentaneum erat, & vitia contra, fornicationem, avaritiam, perjurium, nequitiam, & similia, illicita & morte digna censuerunt, quemadmodum id ex singulis Decalogi præceptis Philipp. Melanchthon, in Locis, tit. de Lege Naturæ, prolixè demonstravit. Unde tam præclare quoque Pythagoras, Socrates, Plato, Aristoteles, Seneca, Epictetus, de virtute, ac honestate, alique, quæ ad vitam recte ac ordine instituendam faciunt, disputant, ut multis Christianis ea in re palmam præripiant. Nec tantum id agnoverunt, vivere flagitiose ac pessime, in vitio esse, sed & cupere ea, quæ honestati adversantur. *Latro est, etiam antequam manus inquinet, quia ad occidendum jam armatus est, & habet spoliandi atque interficiendi voluntatem. Exercetur & aperitur opere nequitia, non incipit.* Seneca dicit, lib. v de Benef. cap. xiv, Et apud

Cic. lib. iii de Finib. M. Cato: *Ut peccatum est, patriam prodere, parentes violare, sana depeculari, quæ sunt in effectu; sic timere, morere, in libidine esse, peccatum est, sine effectu.* Prorsus ut B. Ambrosius, Serm. i in Psalm. cxviii, libidinosum compellat: *An putas, tunc primum te intrare meritorium, cum fornicem meretricis ingrederis? Intraſti jam, quando cogitationes tuas meretrix intravit. Intraſti jam, quando ad potiendam prostibuli cupiditatem gressu mentis intraſti. Pulsaſti lupanaris fores, quando ad mulieris concupiscenda decorem oculos mentis aperuiſti.* Idem Seneca, Epist. x, ea tantum, quæ honesta licitaque sunt, a Deo petenda esse, ex Athenodoro docet: *Tunc scito, inquit, te omnibus cupiditatibus solutum, cum eo perveneris, ut nihil Deum roges, nisi quod rogare possis palam. Nunc enim quanta dementia est hominum? Turpissima vota Diis insusurrant: si quis admoſerit aurem, conticeſcunt, & quod scire hominem nolunt, Deo narrant. Qui & totam epistolam egregia sententia, & digna prorsus, ut omnium cordibus inscribatur, concludit: Sic vive cum hominibus, tanquam Deus videat: Sic loquere cum Deo, tanquam homines audiant. Non hauserunt autem ista vel ex revelatione prophetis & apostolis facta, quæ paucis eo tempore nota fuit, nec ex institutione ac traditione majorum, qui non raro peiores, quam posterius fuerunt, sed ex ipso naturæ lumine deprompserunt, quam ob causam Aristoteles δῖνατον φυσικόν, jus naturale, & δῖνατον τῆ φύσεως, jus natura*

natura constitutum, docet. Ex quibus ita argumentor: Qui natura ea, quæ legi consentanea sunt, facit, ille actionis suæ principium, secundum quod illa instituenda est, seu, legem ipsam connatam, habet: nam legis observatio supponit ejusdem cognitionem: Sed ethnici: E. Porro: Qui principia practica connata habet, ille principia theoretica non potest prorsus ignorare, sunt enim conjuncta. Sed Ethnici. E. Item; Qui legem Dei Natura inscriptam habet & novit, ille & legis auctorem, qui Deus est, cognitum habet. Sed Ethnici legem Dei natura inscriptam habent, uti ostensum. E. Et certe non minus egregie de Deo ejusque cultu loquuntur, quam, cum supra de vitæ honestate disputabant. Socrates sane cicutam bibere maluit, quam absurdam illam & execrandam gentilium theologiam non ridere, ac detestari. Epictetus quoque, in Enchiridio, cap XXXIIX, religionis illud præcipuum esse, ait, *rectas de Diis habere opiniones, ut sentiamus, & esse eos, & bene justeque administrare universa.* Et Seneca, lib. VII Natur. quæst. cap. XXX, ex Aristotele docet, *nunquam nos verecundiores esse debere, quam, cum de Diis agitur. Si intramus templa composui, si ad sacrificium accessuri vultum submittimus, togam adducimus, si in omne argumentum modestæ fingimur, quanto hoc magis facere debemus, cum de sideribus, de stellis, de Deorum natura, disputamus, ne quid temere, ne quid imputenter, aut* igno-

ignorantes, affirmemus, aut scientes mentiamur?
 Hæc ille, quibus vix præclarius quid afferri ea
 in re ab homine ethnico poterat, nisi Plato ube-
 rius adhuc ea persecutus fuisset, qui, lib. II de Le-
 gibus, *Deum malorum causam esse, neque dicen-*
dum omnino in sua civitate, nec permittendum, di-
 cit, *ut a quoquam audiatur, sive ille junior, sive se-*
nior sit, sive carminibus hæc inferantur, sive soluta
oratione narrentur, tanquam, quæ neque dictu san-
cta sint, neque nobis utilia, neque inter se consona.
 Reliquæ non minus insignes ac prorsus Chri-
 stianæ ætatis, quia prolixiores sunt, apud eum
 potius legantur. Atque hoc prius argumen-
 tum est.

XXIV. Alterum ex Conscientiæ testimonio
 defumitur. Hæc est quasi præco quidam legis
 naturæ, ostendens homini, quid illiconsenta-
 neum aut dissentaneum sit, quid item amplecten-
 dum, aut fugiendum, judicans de bene aut male
 gestis, quorum homines sibi consciï sunt, omnes
 denique adus nostros ad legem Dei, ceu ad a-
 mum, exigens. Et quidem recte facta tacite
 secum approbat, & laudat, scelera accusat, repre-
 hendit, & tanquam poena quædam perpetuo
 oculis hominum obversatur,

--- multo sevir illis,

Quas aut Cæditius gravis invenit, aut Rhada-
mantus,

Nocte dieque suum gestare in pectore testem,
 ut Poeta canit. Hæc accusator ac testis, iudex
 item

item ac carnifex est , hæc hominem non aliter persequitur , ac si furiarum verberibus , tædisque ardentibus , interdium ac noctu , domi forisque agítaretur. Neque vero docti aut sapientes tantum ista deprehendunt , sed & abjectissimi & de fece vulgi , qui , omnis cultus ac disciplinarum expertes , in silvis , instar belluarum degunt , potentes , impotentes , docti , indocti , summi denique , infimi , & medioximi , uti non tantum experientia , sed etiam exemplis Judæ , Neronis , Dionysii Tyranni , Caligulæ , & aliorum , constat. His λογισμός vero , seu , rationis iudicium , approbans bene facta , & accusans improbitatem , argumento est , homines & legem nosse , quam violarunt , & iudicem , qui punire possit , si velit , quemque illi propterea tantopere extimescunt. Unde iterum argumentur : Qui naturale dictamen ac iudicium habent de bene aut male factis , illi naturaliter quoque habens legis alicujus & iudicis , seu Dei punientis aut approbantis , cognitionem. Sed omnes homines , ipsi quoque Ethnici id habent. E. Major probatur , nam terrores illi conscientiæ vel ab ipso homine , vitia sua detestante , sunt , vel ab alijs , vel a Deo. Non illud , quia homo naturaliter alias vitia sua excusat. Non istud , nam & tum sæpe sentiuntur , cum scelera occulta sunt , vel potentia adversus humana supplicia nocentem munit. Quid ? quod humana supplicia , ultro ac sponte non raro exposcant , aut sibi metipsis sæpe manus violentas infe-

inferant, majus certe aliquid humana ira ac supplicio extimescentes. Ergo hoc. Respondeatur Poeta: *Primus in orbe Deos fecit timor.* Et Menander: *ἑρῶτις ἀπασιν ἡ συνείδησις θεός.* *Cunctis hominibus conscientia est Deus.* Si quis dicat, homines non Deum duntaxat, sed quamlibet vim superiorem ac fortio rem, imo ipsum Diabolum, ne noceat, formidare: id nihil ad nostram Andromachen: nec enim de quolibet metu, sed eo, qui conscientiam affligit, quaestio est, certe vis illa superior, cui de male admisis ratio est reddenda, nec homo nec Diabolus est, sed unus & solus Deus.

XXV. Accedat denique communis omnium Gentium Consensus: adeo enim omnibus, quorum memoria extat, seculis in eo consensere terrarum populi, ut crederent aliquod Numen extare, quod esset colendum, ut plerique eorum maluerint homines, belluas, astra, plantas, & lapides, pro Diis colere, quam nullam prorsus religionem habere, certe negantes, non tantum sanæ mentis non esse, sed & sensu ac ratione carere, dicant. Et hac in re *Græcum cum barbaro, mediterraneum cum insulano, sapientem cum stulto consentire*, Maximus Tyrius, differrat. i, ait: Cicero quoque, lib. i de Nat. Deor. *nullam gentem aut genus hominum esse*, existimat, *quod non ὑπάρχει*, seu, ut Epicurus vocat, *πρόληψιν*, anticipationem quandam de Deo habeat, & lib. II, porro id tam perspicuum esse, ait, ut, id qui negat,
vix

vix f
tant
cunq
Julia
sed in
blich
mat
sum
affer
& m
in ca
insti
pren
dan
dum
agn
plan
can
Ei f
quo
tius
Loc
de
bui
legi
opu
&
ἐδν
ex

vix sanæ mentis esse, dicat. Et Avicenna, non tantum ratione, sed & sensu, carere, faretur, quicumque Deum aut Numen aliquod non agnoscunt. Julianus autem, apud Cyrill. lib. II, ait, non bauriri, sed innasci nobis, notionem Dei, quod ipsum Iamblichus quoque, in primo de myst. Ægypt. affirmat, illam Deorum notionem etiam ante omnem usum rationis naturaliter insitam esse, videturque asserere Damascenus, lib. I de Orthod. fide, cap. I & III, Ipse quoque B. Lutherus noster, comm. in cap. XVII Genes. Hunc sensum, inquit, naturali instinctu etiam gentes habent, quod sit aliquod supremum Numen, quod colendum, invocandum, laudandum, ad quod in omnibus periculis confugiendum sit, sicut Paullus dicit Rom. I, v. 20, 20, gentes agnovisse Deum natura. Hæc enim notitia divinitus plantata est in omnium hominum animis, quod vocant Deum auxiliantem, beneficum, placabilem. Etsi in eo postea errarunt, quisnam ille Deus sit, & quomodo velit coli. Tandem Martinus Chemnitius, doctissimus sine dubio Theologus, tum in Locis Theologicis passim, tum vero in iudicio de controversiis quibusdam, contr. IV, Tribuit Apostolus gentibus non renatis iustitias legis, quas nascentes secum afferant, cum inquit: opus legis scriptum esse in cordibus eorum, & quod de DEO cognosci potest, Oavēgōv ἐστὶν ἐν αὐτοῖς. 2, rationem Syllogisticam, quæ ex operibus creationis aliquo modo potest colligi-

colligere invisibilia Dei, 3, quod natura possunt facere opera legū. Hæc sunt manifesta, & sicut Augustinus inquit, aliquid, ad seipsum persuadendum, sine prolixis argumentationibus valere debet ipsa evidentia. Mera igitur petulantia est, concludit, usitatam sententiam de principiis & notitiis naturalibus convellere. Hinc iterum argumentor: Omnis effectus communis habet etiam causam communem. Sed notitia illa de Deo est talis effectus, Ergo communem causam, qualis ipsa natura hominum est, habeat, necessum est. Audiamus iterum Senecam, Epist. CXVII. præclare prorsus de hoc ipso argumento differentem, Multum, inquit, dare solemus presumptioni omnium hominum. Apud nos veritatis argumentum est, aliquid omnibus videri: tanquam, Deos esse, inter alia sic colligimus, quod omnibus de Diis opinio infusa est, nec ulla gens usquam est adeo extra leges moresque projecta, ut non aliquos Deos credat. Ciceronis quoque vox est, in i. Tusc. quod omnium gentium consensus sit instar legis natura putandus.

XXVI. Atque hæc hætenus de Notitia Dei Innata sufficiant, de qua prolixius paullo ac uberius disputavimus, tum, quia hæc maxime controversia hodie est, tum etiam, quod ex eius accurata explicatione notitia acquisita maximam partem dependet, adeo quidem, ut, illa asserta de hac litigari amplius vix queat, nisi, quod in eligendis rationibus, quibus eam probare solent, non-

non
fica
cont
giun
est, u
nim,
que
falsis
prob
non
cap.
moti
strav
men
gnan
verb
firm
cere
quæ
ris, p
addu
men
mus
moti
ad ca
ferri
parti
moti
non
supp

nonnihil discrepantiæ sit, dum alii quidem physica argumenta præ metaphysicis laudant, alii contra reiectis physicis ad metaphysica confugiunt. Quæ controversia tamen ita comparata est, ut, quod caput rei est, non evertat: sufficit enim, si recte ac legitime ea astruatur, quibuscunque tandem argumentis id fiat: sæpe enim ex falsis quoque verum efficitur, non quidem, ut probetur, cur res sit, sed tantum, quod sit, sicut non tantum docet Aristoteles, lib. II prior. Anal. cap. II; sed & ipse, lib. VIII Physic. cap. VI, ex motu orbium coelestium, angelos esse, demonstravit. Negari autem non potest, ea sæpe argumenta allata ab auctoribus esse, quæ, sicut magnam probabilitatem habent, cum ad populum verba fiunt, aut alias id, de quo quæstio est, aliis firmioribus rationibus est demonstratum, ita cerebroso adversario vix satisfecerint, uti sunt, quæ Scholastici ex ordine prioris & posterioris, perfectio & imperfectio, possibili & similibus, adducunt. Non igitur, omissis illis, duo argumenta in hac causa ex ipso Aristotele profereamus & urgebamus, unum Physicum, a motu ad motorem, & alterum Metaphysicum, ab effectu ad causam, quibus vix meliora & efficaciora afferri ea in re poterunt: nihil enim est, quod apertius & efficacius de causa sua testetur, quam motus, qui cum sit ens successivum, a seipso esse non potest, sed semper causam a se distinctam supponit. Unde & a S. Thoma, I p. q. II, art. III, mani-

mani-

manifestior via dicitur, & primo loco collocatur.

XXVII. Primum igitur argumentum ex Motu desumitur, ex quo Philosophus, lib. VIII Physic. & lib. XII Metaph. unum aliquid inter omnia mobilia & moventia primum, quodque a nullo alio moveatur, deducit. Id ut faciat, duas ante omnia hypotheses (terciam enim, de motus æternitate, nunc non attingemus) supponit. Prima est, Quicquid movetur, id ab alio aliquo moveri, nihil a seipso, quam quidem Aristoteles, lib. VII Physic. cap. I, & lib. VIII, cap. IV, satis demonstravit. Ratio triplex afferri potest, prima, quod quicquid movetur, id eatenus, quatenus movetur, potentia sit, & quicquid movet, actu. Quemadmodum autem nihil actu & potentia simul esse respectu ejusdem potest, ita nec idem simul movere & moveri. Altera ratio est, quod, juxta ordinem a Deo constitutum, moventia particularia ita dependeant ab universali, ut, sicut nō habent esse a se, sed a causa universali, ita nec virtutem movendi a se habeant, sed ab alio superiori. Tandem, quod etiam in moventibus particularibus unum ab alio, eoque primo in isto ordine, ita dependeat, ut inferius sine superiori esse & moveri non possit, uti, cum pueri trochum flagello circumagunt, trochus movetur a flagello, flagellum a mano, manus iterum ab homine, & hic denique ab insita virtute locomotiva, quæ est prima in hoc genere causarum. Secunda hy-

po-

pot
tunc
nihil
re,
om
mo
Qu
sub
mn
que
di a
niti
pot
X
Ph
mo
mo
At
vet
tur
mo
ab
bili
ver
po
ver
fer
get
alic
vel

pothesis Aristotelis est, quod series illa moven-
tium in infinitum procedere nequeat: Hæc e-
nim non movent, nisi moveantur a primo, qua-
re, si id, quod movet, simul quoque movetur,
omnia entia erunt mobilia, nullum primum im-
mobile, ac proinde nullus quoque motus.
Quemadmodum, si in causis per se essentialiter
subordinatis non daretur aliqua prima, sed om-
nes essent mediæ ac instrumentales nulla quo-
que esset actio. Nam causa inferior vim agen-
di a superiori habet, quæ, si nulla est, aut in infi-
nitum abit, vim suam aliis communicare non
potest, cum infinitum pertransiri nequeat.

XXVIII. His suppositis, tandem concludit
Philosophus, esse aliquod primum movens im-
mobile, quodque a nullo alio moveatur, hoc
modo: Quicquid movetur, ab alio movetur.
Atqui cælum movetur. E. Illud vero, a quo mo-
vetur cælum, aut mobile est, quod ab alio move-
tur, aut immobile. Si hoc, datur ergo primum
movens immobile. Si vero mobile est, iterum
ab alio movetur, eoque vel mobili, vel immo-
bili. Si ab immobili, iterum illud primum mo-
vens concluditur. Si autem moveri & hoc
posset, sive totum, sive secundum partem, mo-
veretur iterum ab alio, & ita ipsum nondum es-
set primum movens. Atque hoc modo per-
gendum est, usque dum deveniamus ad unum
aliquem primum motorem immobilem, nisi
vel in circulo commeare, vel in infinitum abire,

D

veli-

velimus, quod utrumque absurdum est.

XXIX. Alterum argumentum non nostris, sed D. Thomæ, verbis proponemus. *Secunda via*, inquit, *est ex ratione causse efficientis. Invenimus enim, in istis sensibilibus esse ordinem causarum efficientium; nec tamen invenitur, nec est possibile, quod aliquid sit causa efficiens sui ipsius, quia sic esset prius seipso, quod est impossibile. Non autem est possibile, quod in causis efficientibus procedatur in infinitum: quia in omnibus causis efficientibus ordinatis primum est causa medii, & medium est causa ultimi, sive media sint plura, sive unum tantum: remota autem causa, removetur effectus: ergo, si non fuerit primum in causis efficientibus, non erit ultimum, nec medium. Sed, si procedatur in infinitum in causis efficientibus, non erit prima causa efficiens, & sic non erit nec effectus ultimus, nec causse efficientes media, quod patet esse falsum. Ergo est necesse ponere aliquam causam efficientem primam, quam omnes Deum nominant. Argumentatur Thomas ita: Omne ens, quod est in mundo, aut est a se & a nullo alio productum, aut est ab alio: alterutrum enim illorum, cum contradictoria sint, omni enti convenire, necessum est. A se esse non potest, alias enim esset causa efficiens sui ipsius, esset seipso prius & posterius, esset, & non esset, quod æque absurdum est ac, si quis diceret, alios seipsum generare posse. Si vero ab alio productum est, tum denuo argumentor: Illud, a quo reliqua entia pro-*

producta sunt, vel a seipso, seu a nullo, est, vel ab alio: Si hoc, iterum pergo quærere, num & illud ens a seipso vel ab alio sit, donec vel in infinitum absurde fiat progressus, vel deveniatur tandem in investigatione caussarum efficientium ad causam aliquam primam, a qua reliqua entia omnia sint producta, ipsa vero a nulla alia, sed a se, sit, & independens.

XXX. Atque hoc modo Deus ipse nos argumentari jubet, dum, ex effectu causam, ex creaturis creatorem, agnosci posse, ait. *Interroga, quæso, jumenta, & docebit te illorum quodque, aut volucrem cæli, & indicabit tibi, aut confabulare cum terra, & docebit te, etiam pisces maris enarrabunt tibi. Quis non cognovit ex omnibus istis, malum Jehovah facere illud?* inquit Job. xii, 7, 8, 9. Apostoli quoque Iconienses ad unum & verum Deum ablegabant, *qui fecit cælum & terram, & mare & omnia, quæ in eis sunt, quique non passus sit, se esse expertem testimonii, bona tribuendo, dans cælitus pluvias ac præstituta tempora fructibus perferendis, replens cibo ac delectatione corda hominum* Act. xiv, 15, 17. Unde & Sancti Patres, cum contra πολυθεότητα ethnicorum disputant, imo ipsi quoq; ethnici, hoc argumentum magnificiunt. Ambrosius, comm. in cap. i ad Rom. *Deus, qui natura invisibilis est, ut a visibilibus posset sciri, opus fecit, quod opificem sui visibiliter manifestaret: ut per certum incertum sciretur, & ille Deus omnium esse crederetur, qui hoc fecit, quod ab homine impossibile est fieri. Potuerunt ergo cognoscere, sive cognoverunt*

ultra omnem creaturam esse illum, qui ea fecit, quæ nulla creatura facere vel destruere valet. Augustinus Serm. LV de verbis Domini: Viderunt huius seculi philosophi, quantum ab homine videri potest: creatorem per creaturam, factorem per facturam, fabricatorem mundi per mundum. Irenæus quoque, lib. II contra hæreses, cap. IX, Ethnicici didicerunt, esse Deum ab ipsa conditione rerum. Ipsa enim conditio ostendit eum, qui condidit eam, & ipsa factura suggerit eum, qui eam fecit, & mundus manifestat eum, qui se disposuit. Quibus similia, adeoque gemella istis, apud Clement. Alexandr. in Protreptico, Tertull. cap. XVII Apolog. Lactant. lib. I Institut. divin. cap. II, & III, Athanas. Orat. contra idola, Augustin. lib. VIII de Civit. Dei, cap. VI, Damasc. lib. I de Orth. fide, cap. I, Platonem, Aristotelem, Senecam, Ciceronem, aliosque, leguntur. Sic ergo Notitia Dei Naturalis ex Creaturis, & ipsis quoque Ethnicis, ostenditur.

XXXI. Tam firma autem & clara hæc argumenta sunt, ut non nisi illis obscura esse possint, qui, noctuarum instar, a Sole ad caliginem oculos convertunt. Reperiuntur nihilominus nonnulli, qui ipsi, etsi notitiam Dei naturalem ex creaturis agnosci posse concedant, negant tamen, id his aut similibus argumentis confici posse. Quidam enim argumentum Metaphysicum satis efficax dicunt, quo proposita quæstio demonstretur, alii, isto rejecto, Physicum ample-

plectuntur. Et Physicum quidem argum-
tum, ex motu depromptum, Suaresius, Disp.
xxix Metaph. sect. i, n. xi, ideo rejicit, quod u-
nus primus motor inde non concludatur, cum
fingere liceat duos motores sibi invicem succe-
dentes. Paulo aliter Ludov. Crocius, lib. iii
Syntagm. cap. ii, pag. 421, *Quicum Aristotele ex
hoc probant, esse Deum, ii gemino laborant paralogo-*
gismo. Primo, quia assumunt, omne, quod move-
tur, ab alio distincto separatoque moveri motore,
quod non est verum, nisi in violenter & arte motis.
Que enim a natura moventur, internum motus sui
principium habent. Secundo, quia probant ex eo,
quod motus aternus sit, Deum esse, quo negato, Deus
non erit. Negatur autem tum in Schola Cbristi,
tum a multis philosophis. Tandem & alii, etsi, in-
quiunt, concedatur id, quod immediate intendit
conclusio, dari aliquam causam primam, ac sum-
mm motorem, non sequi tamen, hunc esse Deum,
qui sit unus, aternus, infinitus, incorporeus, sed vel
individuum aliquod vagum ac incertum, quod pos-
sit esse cælum, aut aliud corpus, vel & ipsam quo-
que fortunam.

XXXII. Ita illi ad nostra argumenta, quibus
noticiam Dei acquisitam confirmavimus, exci-
piunt. Ad quæ in genere dicimus, etsi unum-
quodque illorum per se sufficienter evincere id
nequeat, sufficere tamen posse, si utrumque
conjungatur. Deinde & in specie ad Suaresii
exceptionem respondemus, i, recte eum dicere,
quod duo motores fingantur: nec enim ullum

fundamentum afferre licet, unde, duos motores certo statuendos esse, evincatur. 2, ne quidem duos fingere licet, cum motus ille tam continuus & regularis sit, qui non nisi unum motorem admittit, ut recte Aristoteles, lib. viii *Physic.* ostendit. Et sane qui summus motor est, nequit esse, nisi unus, cum plura summa esse non possint. 3 tandem, si sunt duo motores æque primi (demus enim tantisper) erunt quoque plures, iique infiniti: quæ enim in duobus individuis multiplicantur, ea in infinitum quoque extendi possunt. Quæ si rectius cogitasset Suarezius, argumentum hoc tam imprudenter non rejecisset. Cæterum Crocii exceptio plane levis est, & exigui momenti. Nam 1, quædam moventia sunt particularia, quorum unumquodque movet, cum dependentia ab alio, usque ad primum in eo genere ac ordine causarum; quoddam vero est universale, a quo reliqua omnia, ipsum vero a nullo alio movetur. 2, quædam moventur per se, quædam per accidens: hæc sunt, quæ, etsi, per se sumpta, non moveantur, cum aliis tamen mobilibus conjuncta, ipsa simul moveantur, ut cum eo motu, quo formæ animatum movent, ex accidenti & ipsæ cum animato moventur. 3, denique, motus alius est physicus & proprie sic dictus, alius autem metaphysicus, & improprie talis, qualis in resultantibus naturalibus & actionibus immanentibus est, uti sunt, actio intellectus, voluntatis, & similes. Etsi autem moventia

ve
te
st
m
tu
fe
tin
pr
tu
Q
Q
ist
D
tic
qu
cu
tu
na
fa
de
fi
D
mi
&
id
int
au
no
inc
po

ventia particularia in eo genere caussarum, itemque ea, quæ per accidens moventur, & actiones immanentes, distinctum & separatum motorem non semper exigant, id tamen in motu physico, & illis rebus, quæ per se moventur, semper ac ubique locum habet. Tandem ad ultimam exceptionem respondemus, 1, aliud esse, probare, Deum esse, & aliud, eum esse infinitum, æternum, incorporeum. Hoc pertinet ad Quæstionem, Quid sit, de qua non agimus; ad Quæstionem vero, An sit, satis est, si proberur, istos conceptus, quos imperfecte & confuse de Deo formamus, non esse falsos, & commentitios, sed revera aliquod ens esse in rerum natura, quod illis respondeat. 2, non admodum difficulter quoque probari potest, causam illam summam ac primam, Deum esse, itemque æternam, independentem, infinitam. Velenim causa illa Deus est, vel aliquid infra aut supra eundem. Si infra Deum est, non est causa summa; si supra Deum est, tum Deus non recte vocatur Deus, qui aliquid se prius ac superius habet. Similiter probamus, æternam esse, quia summa est, & a nullo alio: quod enim est, & a nullo alio est, id nunquam coepisse oportet. Eadē ratio est de infinitate: si enim summa est, tum erit aut finita, aut infinita, si finita, erit ab alio producta, & sic non erit summa. Tandem, si est summa causa, erit independens, cū id, quod dependet ab alio, non possit esse summum. Et hanc demonstrationem,

D 4

a Phi-

a Philosophis ipsis factam, Augustinus, lib. viii de Civ. Dei, cap. vi, indicat, quod & a Lombardo, lib. i dist. iii, adducitur. *Viderunt, inquit, Philosophi, quos ceteris non immerito fama atque gloria præclaros videmus, nullum corpus esse Deum, & ideo cuncta corpora transcendunt, quærentes Deum: viderunt, quicquid mutabile est, non esse summum Deum, & ideo omnem animam mutabilesque spiritus transcendunt, quærentes summum Deum. Deinde viderunt, omnem speciem in quacunque mutabili, qua est, quicquid illud est, quomodo & qualiscunque natura est, non esse posse, nisi ab illo, qui vere est, quia & incommutabiliter est. Quæ cum prolixè persecutus esset, tandem circa finem capitis concludit: Cum igitur in eorum conspectu & corpus, & animus, magis minusque speciosa essent, & si omni specie carere possent, omnino nulla essent, viderunt, esse aliquid, ubi prima esset incommutabilis species, & ideo nec comparabilis, atque, ibi esse rerum principium, rectissime crediderunt, quod factum non esset, & ex quo facta cuncta essent.*

XXXII. Denique, quod de fortuna subjiçiebatur, id minime omnium sequitur. Nam i, ipsi philosophi fatentur, omnem causam per accidens, quales sunt fortuna & casus, reducendam esse ad causam aliquam per se, qua ratione & hic ad causam primam deveniendum est. Certe Aristoteles, cum probe sciret, nullum effectum sine causa esse, lib. ii Physic. fortunam ad confluxum

fluxum caussarum nobis occultarum reducit, quas tamen a primo motore dirigi, non inficiatur. Unde male Picolomin. grad. viii Phil. Moral. cap. xlv, Aristotelem fortunæ Deum præfecisse, negat. Etsi enim, respectu nostræ ignorantæ & caussarum determinatarum, dicatur aliquid fieri fortuito, Dei tamen respectu nihil fortuito evenire potest. 2, si ex qualitate effectuum cognoscitur indoles caussarum, si item effectus toto genere non est deterior sua causa, certe non potest tam præstans & pulcherrimum omnium sine dubio opus fortuito existere. Quo ipso argumento Plutarch, lib. de placit. Philosoph. nonnullos oppugnat: ὁ δὲν τῶν καλῶν εἰκὴ, καὶ ὡς εὐτυχῆ, γίνεται, ἀλλὰ μετὰ τινὸς τέχνης δημιουργήσεως, nihil pulchri temere ac fortuito nascitur, sed ab arte aliqua producitur. Et Cic. lib. ii de Divinat. *Esse præstantem aliquam æternamque naturam, & eam suspiciendam adorandamque hominum generi, pulchritudo mundi ordoque rerum cælestium cogit confiteri.* Quo provocat etiam Ludov. Vives comment. in lib. XI August. de Civit. Dei, cap. iv, ubi, cum Augustinus dixisset, *exceptis propheticiis vocibus, mundus ipse ordinatissima sua mutabilitate & mobilitate, & visibilium omnium pulcherrima specie quodammodo tacitus & factum se esse, & nonnisi a Deo ineffabiliter atque invisibiliter magno, & ineffabiliter atque invisibiliter pulchro fieri se potuisse proclamat: ipse ad hæc notat: Casu aut fortuito, credibile non est,*

factam esse rem maximi ordinis & rationis, nec alium, quam summum, potuisse summi operis, aut alium, quam pulchrum, pulcherrimi parentem esse. Omnes philosophorum scholæ, quæ divinius aliquid sapuerunt, nihil esse, quod tam arguat, & factum esse a Deo mundum, & ejus cura administrari, consensu unico affirmant, quam aspectum ipsum mundi totius, considerationemque decoris ejus atque ordinis, Plato, Stoici, Cicero, Plutarchus, & Aristotelis hac de re argumentum refertur a Cicerone, 2 de Natura Deorum. Profecto, si quis istorum omnium, quæ in coelo, aëre, terra, mari, ac universo orbe, sunt, nullum agnoscit auctorem, jure, eum perinde insanire, dicemus, ac si, projectis in medium infinitis liberis, existere possent, putet, integros, ut ille dicebat, Ennii annales.

QUÆST. II

DE COGNITIONE DEI NATVRALI.

I

Postquam satis hæcenus de Prima Quæstione a nobis actum est, ostensumque, dari utique aliquam Dei Notitiam Naturalem, eamque tam Insitam, quam Acquisitam, simul etiam breviter ad argumenta, quæ contra afferri solent, responsum, restat nunc, ut ad reliquas etiam accedamus, &, *Quid ac Qualis illa Dei ac reliquorum principiorum naturalium notitia sit,*

fit, porro quoque consideremus. Et primo quidem de priori agemus, post ad alteram, eamque ultimam tandem, deveniemus.

II. Quemadmodum vero de Quæstione, *An detur Notitia Dei Naturalis?* magna controversia jam olim exstitit; ita major adhuc est de ejusdem Notitiæ *Essentia & Quidditate*, imo, illa ex hac potissimum exorta est. Dum enim tam vehementer inter se digladiantur, & alii quidem, ipsam hominis facultatem *κρίνεται*, alii species intellectuales, alii, aliud quid esse, dicunt; factum est, ut reliqui eandem plane negare maluerint, quam in tot ac tantas difficultates sese induere. Unde & hodie adhuc naturalis & innata Dei cognitio vel aperta vi impetitur, vel variis corruptelis interpolatur, vel saltem maximam partem in dubium vocatur, uti hætenus vidimus. Non pigebit ergo, in Naturam & Essentiam ejusdem paullo accuratius inquirere. Et vero, hæc recte explicare, longe plus difficultatis continet, quam, aliquam Dei notitiam, ex naturalibus argumentis, & ipso plane sensu, probare. Ut enim longe facilius est coelum, stellas & similia, quod sint, quam, quid sint, demonstrare, ita quoque minus difficultatis habet, ostendere, posse Deum naturaliter cognosci, quam, *Quid illa Notitia sit?* explicare. Quanto vero major est difficultas, tanto etiam insignior utilitas & jucunditas est.

Dux

III. Duæ autem sunt præcipuæ Philosophorum ea de re sententiæ, dum alii, ipsum intellectum, seu facultatem *κρίτικὴν*, intellectui essentialem & propriam, alii autem diversum quid ab ea, esse dicunt. Primum expresse docuerunt, quos Thomas, 1 p. q. xiv, art. xv, ad 3, alia quidem in re Nominales vocat, quorum princeps fuit Guilielmus Occam, Anglus, Scoti discipulus. Hic, cum universalis & naturas communes plane negaret, & omnem nostram scientiam de nominibus tantum esse, assereret, peculiarem scientiam condidit, quæ etiamnum hodie eam ob causam Nominalium vocatur. His Conimbricenses, in Comm. in 1 post. Anal. cap. 1, quæst. 1, art. iv, Durandum, in iii, dist. xxxiii, quæst. 1, ad 2, Dominic. Soto, lib. 1 de just. & jur. quæst. vi, art. 1, & Barthol. Medin. in 1, ii, quæst. LI, art. 1, jungunt. Idem hodie expressius adhuc docent Clemens Timpler. lib. iii Metaph. cap. 1, quæst. ix, & iterum lib. iv, cap. ii, quæst. ii, Keckerm. Disput. xxiii Cursus Philos. quæst. xiii, Wendelin. in Polit. quo & Vasquez in 1, ii, Disp. cl, cap. iii, inclinare videtur, statuentes, esse ipsam naturam rationalem facultate *κρίτικῇ* præditam. Hanc enim ex natura sua, etiam sine habitu, sufficienter proclivem ac propensam esse ad assentiendum principiis primis, idque tam prompte facere, ut promptius non possit, adeoque nec realiter, nec ex natura rei, sed sola ratione, a facultate intelligendi distingui. Quemadmodum enim

enim voluntas non indiget habitu ad amplectenda ea bona, quæ per se primo appetibilia sunt, sed per suam entitatem prompta & facilis est, aut, sicut sensus externi per intrinsecam facultatem, non, habitum aliquem innatum, propensi sunt ad eliciendos actus sibi convenientes; ita nec intellectum habitu indigere ad assentiendum principiis illis primis, quorum unum sit, esse Deum. Photiniani quoque nonnulli, qui naturalem Dei notitiam non prorsus negant, ad remotam quandam potentiam & aptitudinem, seu naturalem potius instinctum, confugiunt, qui per discursum postea ex creaturarum consideratione haustum, sese exerat: nam, sine intellectu, vel rationis usu, nullam esse de Numine opinionem, nullumque religionis sensum, ut Crellius, lib. de Deo & attrib. div. cap. v, loquitur. ideoque non habitum quendam, sed proclivitatem saltem ad habitum naturalem, concedunt.

IV. Verum, hæc sententia sine dubio falsa est, & a plerisque Philosophis jamdudum refutata, qui recte ostenderunt, omnino notitias istas diversum quid esse ab intellectu, & ab hoc ante omnem cogitationem nostram differre, ut subiectum inhæsionis a forma inhærente, seu, ut id, cui aliquid inscriptum est, ab eo, quod inscribitur. Quemadmodum autem id, cui inscribitur (nihil enim sibiipsi inscribi proprie potest) ita nec facultas *κρίτικη* ipsa naturalis notitia principio-

pio-

piorum fuerit. Ratio hæc est, quod intellectus noster, ut reliquæ facultates, a d actus suos exercendos sit potentia indeterminata, & interdum ad utrumque oppositorum æqualiter se habeat, nec magis ad unam, quam alteram partem contradictionis moveatur, ut, cum vel nullæ prorsus, vel æquales in utramque partem rationes suppetunt, vel res alias satis nota non est; interdum ad unam partem magis, quam alteram, propendeat, idque ita, ut unam quidem veram statuatur, sed cui tamen falsum subesse possit, uti fit, cum humana fide, seu propter auctoritatem humanam, tantum aliquid credimus, quæ cum infallibilis non sit, nec fidem divinam, sed humanam duntaxat, nec tantam certitudinem, quanta est in fide divina, cui falsum subesse nullo modo potest, generat; hæc enim Dei dicentis auctoritati innititur, qui mentiri & fallere non potest.

V. Dico, Intellectum esse facultatem indeterminatam. Etsi enim determinatus ille sit, non tantum quoad exercitium actuum, ut posito objecto & necessariis requisitis non possit non apprehendere, sicut potentia visiva, positis omnibus ad videndum requisitis, non potest visionem suspendere, sed etiam quoad specificationem, verum & falsum, ut non possit cuilibet assensum aut dissensum præbere, prout libet, sed necessario ad alterutrum determinetur, neque possit non assentire vero, si exacte fuerit propositum, neque

neq
diff
tas e
hoc
elige
men
cio
nem
vel
tem
clun
maj
liud
tum
sius
fion
plic
ratio
min
que
gun
lect
disti
vol
ram
arbi
de M
dun
rez,
xil.

neque iterum falsum approbare, aut ab eo non dissentire, si fuerit recte cognitum, sicut voluntas ex se & sua natura est indeterminata, ut possit hoc appetere & non appetere, hoc obiectum eligere & repudiare pro lubitu; nihilominus tamen quædam indifferentia est in ferendo iudicio de iis rebus, quarum evidentem cognitionem non assequitur, in quibus potest judicare, vel non judicare, hoc vel illo modo, hoc aut illo tempore, affirmative & negative, propter obiectum magis vel minus clare propositum, vel ob maiorem aut minorem advertentiam, vel ob aliud aliquod impedimentum. Neque enim totum conatum semper applicat, sed nunc intensius, nunc remissius agit, pro ratione apprehensionis & dispositionis, præcipue, cum non simpliciter excitetur ab obiecto, sed propter aliam rationem cognitam in obiecto. Ut ergo indeterminatio illa auferatur vel minuatur, id ab alio eoque distincto fieri debet. Et hoc concedere coguntur omnes ii, qui radicem libertatis in intellectu collocant, Durandus & S. Portiano, in 1^a sent. distinct. xxiv, qu. iii, qui, tam intellectum, quam voluntatem, & hanc quidem magis præ illo, liberam esse, dicit, Rob. Bellarm. lib. iii de grat. & lib. arbitr. cap. viii, Franc. Cumel, Ordinis B. Mariæ de Mercede, Prof. Salmanticensis, in Dispp. Lugduni editis, Tom. ii, Disc. iv, sect. v, Didac. Alvarez, Archiepiscopus Tranensis, in summa de auxil. grat. Lugd. M. DC. xix, Disput. viii, num. xxiii, Disp.

Disp.

Disput. xxvi, num. xii, Disput. cxv, num. cxvi, Guil. Esthiius, Professor Duacenus, in ii sent. dist. xxiv, §. 3, Petrus de Ledefina, Professor Salmanticensis, in libro de divin. grat. auxil. edito Salmanticæ, apud Antonium Ramirez, Anno MDC XI, art. x, Martin. Becanus, part. ii Tom. i Theol. Scholast. cap. ii, quæst. iv, qui & ipse, id probabile esse, asserit, etsi, oppositam sententiam probabiliorem, dicat. Ex Calvinistis Andr. Riverus, in Comm. in Gen. pasum, præcipue Exercitat. xxxiii, in cap. iii, & Tract. iv, Cathol. Orth. quæst. iii, num. ii. Si enim intellectus radicaliter est liber & indifferens, necessum est, eum libere assentire, & ab alia re distincta determinari. *Per habitum connaturalem necessitatur intellectus, & quoad specificationem, & quoad exercitium, ad assentiendum primo principio, & aliis propositionibus notis ex terminis, quæ dicuntur etiam principia, sic, quod, stante apprehensione illorum, non potest non assentire, neque cessare ab actu, neque oppositis assentire,* ait Joh. Viguerius, Granatensis, Instit. Theol. cap. iii, §. viii, vers. v.

VI. Posito autem, quod intellectus naturaliter ex parte objectorum sit determinatus ad unum in dijudicandis propositionibus, quando evidenter ostenditur earum veritas, ut non possit hic & nunc dissentire a vero, aut falsum approbare; tamen sæpe magnam difficultatem patitur in demonstranda veritate, & in agendo molestiam,

stiam, tum propter inadvertentiam, tum propter errorem conjunctum, tum denique propter alias causas, unde iterum alia re opus est, per quam determinetur, difficultatemque illam & in agendo molestiam superet, ut, quod ægre alias facit, & cum difficultate, id nunc prompte & facile, & cum aliqua voluptate, exequatur. Ideo enim habitus potentia naturali superadduntur, ut eam in agendo promptiorem & expeditionem faciant. *Ad tria habitibus indigemus*, dicunt Conimbric. Disp. vii in Ethic. Aristot. quæst. i, art. i, *Primum ad uniformitatem actionum: quæ enim ad agendum habituali propensione carent, instabilia sunt, facileque mutantur. Secundo, ut actio in promptu sit, unde Aristoteles, 3 Ethic. cap. 8, ait, repentina esse ab habitu. Certe, nisi rationalis potentia interventu habitus inclinetur ad unum, oportebit, oblata agendi occasione, de re facienda prius inquirere, cum tamen interdum negotia moram non ferant. Tertio, ut cum voluptate actio perficiatur, quod præstat habitus. Nam, cum modum quendam naturæ obtineat, operationem sibi propriam quasi naturalem, atque adeo jucundam, reddit. Quare Aristoteles, 2 Ethic. c. 3, docuit, delectationem in opere obeundo signum habitus esse.*

VII. Tandem multa alia impedimenta sunt, quæ hominibus, etiam pericissimis, crassissimas tenebras offundant, eosque in transversum rapiant, quam ob causam & hic determinans

E

quid

quid requiritur. Inde est, quod ipsa Augustana Confessio, Artic. xviii, & Apologia ejusdem, ad multarum veritatum naturalium, tam theoreticarum, quam practicarum, cognitionem, præter influxum Dei generalem, superioris alicujus principii gubernationem requirat, absque qua si fuerit, intellectum nec semper assentiri dictis, nec intelligere satis & capere ea ipsa posse, præcipue, cum Diabolus non cesset mentem hominis a veri cognitione divertere. *Potest aliquo modo, ait Apol. p. 118, efficere justitiam civilem, seu justitiam operum, potest loqui de Deo, exhibere Deo certum cultum externo opere, obedire magistratibus, parentibus, in opere externo eligendo, potest continere manus a cade, ab adulterio, a furto. Cum reliqua sit in natura hominis ratio & judicium de rebus sensui subjectis, reliquus est etiam delectus earum rerum, & libertas & facultas efficienda justitiæ civilis. &c. Quanquam tanta est vis concupiscentiæ, ut malis affectibus sæpius obtemperent homines, quam recto judicio. Et Diabolus, qui est efficax in impiis, ut ait Paulus, non desinit incitare hanc imbecilem naturam ad varia delicta. Et hoc est, quod Salomon dicit, hominem nihil viæ suæ intelligere, sed gressus ejus a Deo dirigi, etiam in conversatione civili, Proverb. xx, 18, 24. Multa item naturalia & physica de ventorum & metallorum generatione, incrementis, natura, & accidentibus, ab homine cognosci non posse, Job. xxxvii, 14, 15, 16, seqq. Ratiocinationes mor-
taliū*

talium sunt timide, & instabiles cogitationes eorum. Inestum enim corruptioni corpus aggravat animam, & deprimit terrena habitatio mentem multis curis plenam. Vix conicimus ea, quæ in terra sunt, & quæ ad manus sunt, laboriose invenimus, quæ autem in cælis sunt, quis peruestigavit? Et consilium tuum quis noverit, nisi tu dederis sapientiam? Sap. ix, 14, 15, 16. Ipsi quoque Scholastici ad cognitionem nonnullarum rerum naturalium, quæ ex sensibilibus deduci possunt, præter lumen naturale, specialiozem Dei gratiam requirunt. Quod enim Thomas, 1, 11, quæst. cix. art. 1, in corp. libere a Deo nonnunquam, tanquam miraculosum, adhiberi, ait, sic igitur dicendum est, quod ad cognitionem cujuscunque veri homo indiget auxilio divino, ut intellectus a Deo moveatur ad suum actum, non autem indiget ad cognoscendam veritatem in omnibus nova illustratione superaddita naturali illustrationi, sed in quibusdam, quæ excedunt naturalem cognitionem, & tamen Deus quandoque miraculose per suam gratiam aliquos instruit de his, quæ per naturalem rationem cognosci possunt: Id eij interpretes, Greg. de Valent. qu. 1, punct. 11, Vasquez, Disp. clxxxviii, n. viii, Pesant. Disp. 1, concl. 11, necessario requiri contendunt, non posse hominem, nec per propriam industriam, nec per disciplinam ab alio acceptam, habere cognitionem omnium rerum naturalium, neq; harum, quas cognoscit, posse habere cognitionem sine ullo errore, nisi aliquo divino auxilio speciali juverur, idq; tum experientia, tum ex numero stellarum,

E 2

pro-

proprietatibus cœli, & rebus mechanicis ac physicis, patere. Exempla similia de Bezaleele, Exod. xxxi, 3, 4, Hiram, i Reg. vii, 13, 14, Salomone, sapientissime de plantis, jumentis, avibus, reptilibus & aliis rebus naturalibus disputante, i Reg. iv, 31, 33, 34, adducunt.

VIII. Quibus ita positis, nunc argumentamur. Omne indifferens & indeterminatum determinatur ab aliquo contradistincto. Uti enim nihil seipsum producere, ita nec ad unum determinare, potest. Intellectus autem est indifferens, & indeterminatus, uti ostensum. Ergo ab alio, eoque distincto, est determinandus, non a semetipso, aut facultate *νεῖτην*.

IX. Et hoc tam certum est, ut ipsi etiam aduersarii, & qui alias habitum principiorum naturalem negant, aperte fateantur, idemque ex Aristotele probari posse, contendunt. Audiat nunc saltem Suarezius, Disp. i Metaph. sect. iv, num. xv, *Aristoteles*, inquit, *utrumque posuit, scilicet, & habitum principiorum esse virtutem distinctam a sapientia, ut constat ex 6 Ethic. c. 3, & esse habitum, quem nostris actibus comparamus, ut ex eodem loco, & ex 2 post. cap. ult. facile sumi potest. Nam in priori loco manifeste ponit illum inter habitus, seu virtutes intellectus: si autem non esset res distincta ab ipsa facultate intelligendi, impropriissime imo & falso diceretur, esse habitum intellectus. Hæc ille, qui tamen mox addit, Aristotelem apertius sentire, esse habitum non a natura*

tura

tura inditum, sed acquisitum, non per discursum, sed per simplices actus, ex sola terminorum propositione & intelligentia, comparatum.

X. Eadem ferme ratio est circa voluntatem: Etsi enim hæc determinata sit ad bonum commune, nec opus habeat, ut inclinetur per qualitatem superadditam ad id, ad quod natura sua proclivis est, interim, *quia hoc bonum multipliciter diversificatur, necessarium est, ut ad aliquod determinatum bonum rationis voluntas per aliquem habitum inclinetur ad hoc, quod sequatur promptior operatio*, ut recte loquitur Thomas, I, II, quæst. L, art. V, ad 3, qui & præmiserat in resp. ad I argum. *ad ea, ad quæ sufficienter inclinatur voluntas per naturam ipsius potentie, non indigere aliqua qualitate inclinante. Sed quia necessarium est ad finem humanæ vitæ, quod vis appetitiva inclinetur ad aliquod determinatum, ad quod non inclinatur ex natura potentie, quæ se habet ad multa & diversa, ideo necesse est, quod in voluntate, & in aliis viribus appetitivis, sint quedam qualitates inclinantes, quæ dicuntur habitus.* Accedit, quod voluntas formaliter & primo sit libera, & indifferens, ut, positis omnibus requisitis, tamen velle & non velle, oblatum bonum appetere æque & non appetere, eligere & repudiare, possit. Unde & hæc aliquo extra se opus habet, quo indifferentia illa ad certum aliquid determinetur.

XI. Interim magna differentia est inter intellectum & sensus exteriores: quod enim hi non indigeant habitu, & ex se longe promptius percipiant sua objecta, quam intellectus sua principia, id partim inde est, quod indifferentes & indeterminati non sint, sed, speciebus sensibilibus legitime propositis & recte applicatis, non possint non exercere suas functiones, neque aliter rem percipere, atque est; partim, quod alia sensus percipiant, quam intellectus, illi quidem res singulares & materiæ immerfas, hic universales, & a materiæ conditionibus liberæ atque abstractas; partim denique, quod in sensibus externis sit sola receptio specierum, non iudicium, unde fit, ut de veritate aut falsitate actuum, tam suorum, quam aliorum, nec cognoscere, an species illa in sensu hærens vera sit, & exacte repræsentet rem extra se existentem, deniq; nec deprehendere possit, an erret ac decipiatur, sed tam firmiter movetur ad objectum apprehensum, etiam per hallucinationem, ac si veram similitudinem rei haberet. Hoc munus igitur proprie intellectui competit, qui veritatem & falsitatem tum suam, tum sensuum, dijudicat & cognoscit. Cum enim visus videt, iudicat ille, num visio sit vera, hoc est, an species seu similitudo in oculo repræsentet rem extra oculum existentem. Mirum igitur non est, si illi non egeant qualitate, indifferentiam, quam non habent, determinante: Sicut enim ignis ligna apposita urit, aut lapis, remotis omnibus impedimentis, descendit, ut ignis non possit non urere,

urere, & lapis descendere; ita & sensus externi circa sua objecta se habent. Quod enim sua natura determinatum est ad unum tantum, idque sufficienter, ut prompte functionem suam exercere possit, illud a superveniente qualitate nec ad unum determinari, nec promptius reddi, potest. *Ideo enim vires naturales non agunt operationes suas, mediantibus aliquibus habitibus, quia secundum seipsas sunt determinata ad unum*, ait Thomas, I, II, quæst. XLIX, art. IV, ad 2. Et Aristoteles, lib. II Ethic. cap. I, *Nibil eorum, quæ necessario insunt, aliter atque natura est, assuesferi potest, ut, lapis, qui deorsum fertur natura, nulla ratione assuesferi potest, ut sursum moveatur, ne quidem, si decies millies quis eum sursum jaciens assuefacere conetur. Neque ignis unquam deorsum feretur, neque quicquam aliud eorum, quæ aliter a natura comparata sunt, aliter assuesferi poterit.*

XII. Rectius ergo cæteri sentiunt, qui asserunt, esse qualitatem aliquam intellectu superadditam, & ab eo realiter distinctam, idq; ex Thoma, I, II, quæst. LI, art. I, & Aristotele, VI Ethic. c. III, & XIV, probant: nec tamen in definitione & quidditate istius qualitatis conveniunt. Nam Paulus Soncinas, V Metaph. quæst. IX, & pauci alii Thomistæ, species intelligibiles simplicium vocum esse, dicunt, ex quibus principia illa prima componantur, ut hoc principium, Deus est, aut, totum est majus sua parte, nihil aliud esse, quam species collectas totius & partis, quam ipsam sententiam quoque Suarezius, Disput. XLIV

Metaph. sect. iv, num. ii, D. Thomæ tribuit, quæst. xxiv, de verit. art. iv, ad 9, saltem de habitibus scientiarum. Verum enim vero, species illæ intelligibiles non tam sunt cognitio intellectus, quam id, quo objectum ab intellectu cognoscitur, uti species visibiles non sunt id, quod videtur, color enim est objectum visus; ita quoque aliud est objectum, quod intelligitur, aliud vero species intelligibiles, quibus id intelligitur, seu, quæ objectum intellectui repræsentant. Quare species non tam ad intellectum ejusque cognitionem, quam ad objecti requisita, pertinent. Unde præter eas aliud adhuc necessarium est, quod ipsam potentiam juvet ex parte ejus, & ad assentiendum ac judicandum promptum ac facilem reddat: nam & post acquisitas species objectorum difficultatem adhuc patitur. Addo denique, quod species intelligibiles tantum repræsentent res simplices & incomplexas, ex quibus solis homo prudens aut sapiens non dicitur, sed ex facilitate & promptitudine utendi istis speciebus, & componendi ac judicandi de rebus repræsentatis per illas.

XIII. Thomas igitur, i, ii, quæst. li, art. i, ejusque interpretes, Medina, Cajetan, Gregor. de Valent. hic, Durandus, in iii, dist. xxxiii, quæst. i, ad 2, Dominic. Bannes, in ii p. q. i, art. vi, Alex. Alensis part. iii summæ, quæst. xxvii, m. ii, art. i, Suarez. Disp. i Metaph. sect. iv, num. xv, Vigner. Granat. cap. iii, Institut. Theol. s.

VIII,

VIII, vers. v, Conimbric. in III de an. cap. VIII, quæst. I, art. III, ad 4, & in I post. cap. I, quæst. I, art. IV, statuunt, cognitionem Dei naturalem, & omnium adeo principiorum primorum, non tantum qualitatem intellectui superadditam, sed & habitum quoque, esse, qui determinet facultatem intelligendi indifferentem. Addunt quoque Conimbricenses Capreolum, in III quæst. prolog. resp. ad 3, & Thomam, in I p. q. LXXXII, art. II, item I, II, quæst. V, art. IV, ad 3, & in III sent. dist. XXIII, quæst. I, art. II, ad I. Qui tamen in eo discrepant, quod alii, habitum innatum in primo generationis instanti, non acquisitum nostris actibus esse, contendunt, alii vero, per proprios cujusque actus eos paulatim comparari, asserant, dici vero naturalem, non, quod ante rationis usum homini ex natura actu primo insit, sed triplici alia de causa: 1, ut id intelligatur de notitia Dei in universali, quod omnes desiderant beatitudinem in communi, & norint, esse aliquid, quod hominem felicem reddere queat, atque hoc Deum esse. 2, ideo sic dici, quod naturaliter possit comparari per discursum non adeo difficilem, & 3 denique, quod secundum quandam consuetudinem habeatur ab omnibus sine præsentis discursu, statim, ac audiunt Dei nomen. Ita Gregor. de Valent. T. I Comm. in Thom. Disp. I, quæst. II, punct. I. Idem propemodum dicunt Conimbric. in III de an. cap. VIII, quæst. I, art. III, ad 4, eatenus dici naturales,

quatenus ejusmodi principia per se ac vi suorum terminorum adeo conspicua sunt, ut eis necessario quoad speciem actus assentiamur, neque mente inficiari ea possimus, atque huc respexisse Thomam, in I, II, quæst. II, art. I, & lib. II contra gentes, cap. LXXVIII, cum docuit, habitum principiorum partim esse naturalem, partim acquisitum. Idem Conimbricenses, in I post. Anal. cap. I, art. IV, aliquot rationibus in medium allatis ostendunt, quare non sit habitus innatus, sed acquisitus. *Si enim tota via agendi ex parte potentia, & quoad substantiam actus, & quoad promptitudinem ac facilitatem, a natura tribueretur, nulla esset ratio, cur ea via distribueretur in potentiam & habitum, sed tota potentia conferenda esset, nullum quoque esset indicium, quo eos habitus depredendimus, nimirum major facilitas ex actuum frequentatione relicta: si namque principiorum habitus ab ortu essent, æque semper in assentiendo faciles exitissemus. Subjungunt porro, species ad assensum principiorum necessarias non esse innatas, sed acquisitas, ergo nec habitus ipsos. Quod autem species non sint innatæ, sed acquisitæ, id lib. III de an. cap. VIII, quæst. I, probant: nam si ita esset, inquit, posset anima confestim iis uti: quod vero iis confestim non utamur manifestum est, alioqui ab ipso conceptu, antequam in lucem essemus editi, jam quisque nostrum, præeunte rationis luce, libere ageret, & mereretur, ac demereretur, quod est erroneum. Deinde, idem ex eo suaderi, di-*

dicunt, quia, si essent nobis ingenitæ species, essent quoque ingeniti habitus scientiarum, cum in utriusque par sit ratio. At, non ita rem habere, plane indicat, quod nemo ejusmodi habitus in se experitur, sed magnum potius laborem & difficultatem in disciplinis comparandis. Denique & hoc addunt, si anima intellectiva non acciperet species a sensibus, sed aliunde, non esse, cur societatem corporis affectaret, ac materia uniretur. Nec enim dici posse, uniri eam ipsius corporis gratia, cum forma non sit propter materiam, sed e converso materia propter formam: videri igitur maxime corpus animæ intellectivæ necessarium, ad propriam ejus functionem, quæ est intelligere: unumquodque enim propriæ operationis gratia maxime esse. Hæc illi tam operose, ut non tantum naturalem & connatam DEI notitiam, sed omnes in universum habitus connatos, theoreticos æque, ac practicos, destruerent, ac negarent.

XIV. Cæterum, his non obstantibus, eorum sententia nobis vero similior videtur, qui statuunt, Notitiam illam Dei & reliquorum principiorum habitum esse, aut saltem aliquid habitui ἀνδλογον, & eum quidem non acquisitum primitus per argumenta & rationes, sed a Deo, Naturæ auctore, tanquam lucem quandam, animis nostris inditam, qua mediante, ille ad principia ista prima apprehendenda & intelligenda inclinatur, seu, quo dirigatur circa speculabilia, hoc est, circa veritatem vel falsitatem omnium compositionum & divisionum, sive propositionum, ad opera-

continuat

opera-

operationem non ordinarum, quem sequendo errare non potest, neque falso assentire, aut dissentire vero: omnia enim speculabilia continentur in principis, circa qua versatur hic habitus, qui dicitur intellectus principiorum, & in illo resolvuntur & ad eum reducuntur omnia, ideo per illud debite ordinatum & applicatum potest homo pervenire in cognitionem omnium naturalium, uti Viguerius loquitur, ubi supra.

XV. Id antequam ostendamus, quatuor primo omnium sunt notanda. Et primo quidem, trium generum habitus in animo nostro esse posse, aliosque a natura inesse, alios acquiri actionibus & industria nostra, alios denique non nostris viribus, sed per influxum solius Dei, & gratiam divinam, nobis obtingere: etsi enim nonnunquam & illi habitus vocentur infusi, qui a nobis alias acquiri possunt, quia tamen & hi aliquando sine nostro labore ex sola Dei potentia obtinentur, uti, cognitio linguarum in Apostolis die Pentecostes; recte cum infusis per se conjunguntur. Cum vero infusi habitus non perficiant hominem in ordine ad hanc, sed ad futuram, eamque supernaturalem, vitam, cum item ex natura nobis non constet, an & quid illi sint, quando & quibus mediis parentur, & quomodo ad finem supernaturalem tendant, sed, quicquid de illis cognoscimus, id ex sola scriptura sacra & divina revelatione cognoscatur, ideo de illis hic non disputabimus. Restat ergo de acquisitis & innatis quaestio. Deinde & id observandum

vandum est, cum dicimus habitus innatos, non intelligi habitus proprie & primario sic dictos, quales sunt habitus scientiarum & artium, per crebras actiones comparati; sed secundo tantum, quod non transeant cito, ut reliquæ actiones, sed naturæ constanter tenaciterque adhæreant, & a nobis per modum habitus concipiuntur, unde &, ἀνάλογο quid habitui habere, jam ante diximus. Quemadmodum apud medicos febris hectica, seu habitualis, appellatur, quod non ita facile, ut χερική, seu ephemera, expelli ac fugari possit, sed vel plane non, vel admodum difficulter curetur, opponiturque ἐν λύτῳ, seu ei, quæ facile tollitur, uti id præclare prorsus seculi nostri, dum viveret, Æsculapius, B. Sennertus, lib. II Instit. Medicar. part. I, cap. XI, ostendit. Sic morbi hereditarii habituales dicuntur, quod cum ipso parentum semine & sanguine materno in liberos deriventur: unde fit, ut, quemadmodum podagrici podagricos, epileptici epilepticos, calculosi calculosos, leprosi leprosos; ita quoque parentes, habituali Dei notitia præditi, liberos sibi, etiam quoad hanc partem, similes generare soleant. Tertio & id observandum, alia esse principia maxime communia, quæ supra se alia non habent, sed ex quibus reliqua dependent, ut, Deum esse, itemque justum ac veracem; alia vero quodammodo particularia, quæ ex illis deducuntur, nos autem hic de prioribus, non posterioribus agere.

re. Tandem & id addendum est, quod ait Viguerius, ex habitibus innatis non inveniri in homine, nisi duo: unum in intellectu speculativo, qui dicatur habitus principiorum, & unum in intellectu practico, qui dicatur Synderesis, seu habitus inclinans hominem per intellectum practicum ad bene agendum & operandum, ac ad assentiendum principiis agibilibus, quæ debeant dirigere & regulare omnes operationes humanas, Et iterum non de his, sed illis, hic institui quæstionem. Unde hæc controversia tandem emergit: Num cognitio principiorum communissimorum maximeque primorum, ex quibus unum est, Deum esse, sit qualitas quædam sua natura durabilis, & hominibus a nativitate actu primo inscripta, tamque constanter & habitualiter adhæreat, ut evelli non possit, subjectum item, in quo est, aptum reddat ad certas actiones edendas, adeoque habitus potius innatus, quam acquisitus, sit dicendus? Conimbricenses & plerique alii, qui cum iis sentiunt, negant, nos affirmamus.

XVI. Probatur id ita: 1, Certum est, omne, quicquid intellectui constanter perpetuoque adhæret, vel actum aliquem, vel habitum, vel potentiam naturalem esse: quartum enim hic dari sine dubio nullum potest, sicut & ipse Aristoteles testatur: Τα ἐν τῇ ψυχῇ γινόμενα ἢ πᾶσι πᾶθιν, ἢ οὐδέποτε, ἢ ἔτι: *Tria insunt anima, affectus, potentia, habitus*, lib. II Ethic. Nicom. cap. V. Notitia vero ista, qua notum est, Deum esse, non est actus,

actus
&
net
gno
pri
piu
iter
pro
la o
tol
rati
ctio
opp
feci
cur
nor
cur
hab
tio
cog
dus
tur
ost
per
lem
fed
&
ips
sup
qui
id

actio, seu actio & operatio, hæ enim in fluxu sunt, & transeunt, notitia vero illa habitualis permanet, & adest nobis etiam tum, cum actu non cognoscimus: ut nihil dicam, quod cognitio illa principium actionis sit, id autem quod principium actionis est, actio ipsa esse proprie nõ potest: item quod actio nec omni nec semper insit, sed, pro lubitu agentis, sit, vel non sit, notitia autem illa omnib9 insit, nec magis a quoquam hominum tolli possit, quam ipsa natura humana, aut anima rationalis. Nisi abusus fuerit vocabuli, & per actionem seu actum intelligatur actus primus, qui opponitur potentiæ, semperque inest, etsi actu secundo non semper sese exerat in subjectis, ut, cum homo quidem habitum possidet, licet actu non consideret quicquam, quod sit in adultis, cum dormiunt, vel alia in re animum occupatum habent. Sicut enim aliud est ratio, aliud vero ratiocinatio, ita sine dubio quoque aliud est Dei cognitio naturalis, aliud ejusdem actus secundus, & exercitium. Sed nec est potentia naturalis, seu facultas *νεπιτηνη*, ut paullo ante ostensum est. Idque probatur porro, quia per hanc cognitionem non intelligimus qualemcunque notitiam primorum principiorum, sed eam qualitatem, secundum quam prompte & facile iis principiis assentimur, quod non ipsa potentia naturalis facit, sed id, quod ipsi superadditur. Unde ita argumentur: Quicquid animo hominis perpetuo inhæret, id est aut actus, aut potentia, aut habitus. Atqui

Atqui cognitio illa Dei naturalis nec actus, seu affectus, nec potentia, est, relinquatur igitur, quod sit habitus.

XVII. Huic alterum argumentum addimus, quod instar multorum esse potest, ex natura & definitione habitus desumptum. Sive enim definiamus cum Suaresio, Disp. XLIV, sect. 1, num. VI, quod sit *qualitas quaedam permanens, & de se stabilis in subiecto, per se primo ordinata ad operationem, non tribuens primam facultatem operandi, sed adjuvans & facilitans illam*, vel, ut alii volunt, quod sit *qualitas rei superveniens, natura sua durabilis, seu diffculter mobilis, per quam res certo modo disponatur, ut bene vel male se habeat, ratione sue operationis*; sive denique dicamus, quod sit *qualitas quaedam menti impressa, & potentia intelligenti in ipso ortu suo superaddita, ut eandem dirigat & perficiat*; universa ista optimo modo habitibus innatis competunt. Nam & qualitates sua natura durabiles & permanentes sunt, neque facile excuti & perdi ab homine possunt, & in eo ab actibus distinguuntur, qui, cum sint transeuntes & in perpetuo fluxu, habitus esse non possunt. Deinde ordinati sunt ad operationem: neque enim vel male, vel bene disponunt subiectum ad esse, uti sanitas quandoque habitus dicitur, sed sunt propter operationem, unde & propterea a cæteris speciebus qualitatis reipsa & essentia distinguuntur. Neque interim constituunt ipsam facultatem, sed ab eadem

dem, tanquam forma quædam, distinguuntur. Denique & eandem juvant ac promovent ad faciliorem & promptiorem operationem. Hinc iterum argumentor: Cui competit definitio habitus, eidem & definitum ipsum. Sed notitiis innatis competit definitio habitus. E.

XVIII. Denique ex natura Angelorum & speciebus ipsis inditis argumentantur: Divinam enim Sapientiam omnia ordine ita digessisse, ut supremum naturæ inferioris attingat infimum naturæ superioris, inter habitus autem, quos habemus, supremum esse ipsum habitum principiorum: quod si ergo Angelis concreata sint suæ cognitionis principia, sequi, hæc ipsa quoque hominibus indita esse a natura. Nec leviter hoc argumentum confirmari posse, dicunt, si id addatur, quod Deus, uti non condidit naturam principio operandi destitutam, ita nec intellectum principiis intelligendi carentem, sed inesse quasi habitus principiorum, quibus mediantibus, intellectus & intelligere recte, & prompte facileque officio suo fungi queat.

XIX. Atque ita vera sententia probatur. Superest nunc ut argumenta quoque consideremus, quæ urgeri contra solent, & a nobis supra, Num. xii, adducta sunt. Et primo quidem Greg. de Valentia rationes nihil prorsus concludunt, sed pleræque principium manifeste petunt: neque enim ullam rationem affert, qua conjecturas suas, vel probabiliter saltem, confir-

F

met.

met. Cæterum per desiderium illud vel intelligit in genere omnem inclinationem, a Deo creaturis inditam, ad certum aliquem finem cuique convenientem, quomodo omnes res, etiam inanimatæ, ad finem suum naturaliter tendunt, ignis sursum, & lapis deorsum; Vel specialiter instinctum quendam, nobis cum brutis communem, ut est vitæ defensio, conjunctio maris & feminæ, amor foetus, desiderium libertatis, & similia, quo respectu Imperator, jus naturæ esse, dicit, quod natura omnia animalia docuit, princ. Instit. de jure nat. gentium & civili, & Ulpianus, l. 1. ff. de just. & jure: Vel specialius desiderium de vero aut falso, honesto aut inhonesto, licito aut illicito, a natura inditum per modum jussio- nis ac præcepti, ut, illud negligere, sit deforme & repugnans naturæ rationali: Vel denique intelligit desiderium & appetitum naturalem beatitudinis æternæ, tanquam finis hominis naturalis, quod quidem & ipse, & Bellarm. lib. vi de grat. & lib. arbitr. cap. x, & Scholastici communiter, in ii ii, tanquam certum & infallibile, supponunt, quo tamen nihil est falsius: cum enim hæc per naturam plane non cognoscatur, an & quid sit, certe nec naturaliter ab homine desiderari unquam potest. Prima & secunda significatio manifesto falsa est: etsi enim negari non possit, quin sit in homine aliquid, quod ipsi commune est cum brutis; non tamen idem est, cum utrique idem agunt, neque bruta juxta ex-
ratione

ratione aut habitu, sed ex phantasiæ operatione, & naturali instinctu, faciunt, neque, cum a præscripto naturæ recedunt, puniri eam ob causam merito possunt, quod quidem Socinus, lib. de statu primi hominis, cap. vi, contra Puccium asserit, *bestias ita errare, ut culpa alicujus sint affines, & puniri mereantur. Non possunt, inquit, tam graviter, nec in iisdem plerisque rebus delinquere, in quibus homo delinquit, sed delinquere tamen possunt, id est, a quadam via sibi naturaliter præscripta aberrare atque deflectere, adeo, ut merito puniri debeant.* Et si enim aberrare bruta a via sua naturali possint, neque tamen, propterea, legem aliquam transgredi, dicendum est. *Non enim brutorum aestimatio, qua sibi ea, quæ sunt ipso- rum appetitus, ut consentanea, proponit, nec eorum inclinationes dici possunt habere vim legis. Et ratio est: nam licet illa inclinationes & aestimationes sint legis æternæ participationes, sic tamen sunt ejus participationes, quid solum per legem æternam mensurantur, & regulantur, quia non ordinant & præscribunt aliquid propter finem. Nam inclinationes naturales omnium nihil de fine percipiunt, & bruta quoque ordinem mediorum ad finem, atque adeo rationem formalem finis, prorsus ignorant. Ad judicium rationis sic est legis æternæ participatio, & ita per illam mensuratur, ut simul etiam habeat rationem regule, quoniam, cum sit rationis actus, dicitur, & præscribit, modum ad finem aliquem,*

F 2

inquit

inquit recte Joh. de Rada, part. II, Controvers. xx inter Thomam & Scotum, art. 1, pag. 510. Si vero in tertia significatione id naturale accipit Valentia, per eam nostra sententia potius confirmatur. Reliquæ ejus rationes probant noticiam acquisitam, innatam vero non evertunt. Nam ea, quæ per discursum naturaliter comparantur, quæ item per famam ac traditionem, vel aliorum auctoritatem, sciuntur, ad acquisitam, non innatam, noticiam pertinent.

XX, Conimbricenses, cum dicunt, eatenus esse habitum naturalem, quatenus principia acquisita vi suorum terminorum tam manifesta sunt, ut nemo ea negare possit, idque Thomam docere; confundunt noticiam habitualement cum actuali: nam & quædam principia in intellectu sunt absque præcedente sensuali cognitione, & secundum ea rapitur quasi intellectus suo impetu ad cognoscendum Deum, interim sine terminorum cognitione non deducitur in actum secundum. Prior est quasi habitus imperfectus, seu, inchoatio quædam, uti Thomas vocat, qui deinde per habitum acquisitum consummetur ac perficiatur, quo modo & Thomæ mentem Scheiblerus lib. II Metaph. cap. VIII, art. II, num. 59, exponit. Thomæ autem verba ista sunt II, quæst. LI, art. I, in corp. *Potest aliquid dici naturale dupliciter. Uno modo, quia totum est a natura. Alio modo, quia secundum aliquid est a natura, & secundum aliquid est ab exteriori principio,*

cip
in
lio
ex
in
par
pri
tus
nat
Sec
an
nat
lis
tot
tum
qui
inte
nus
sola
ind
fuer
X
do
age
nat
prin
etur
initi
ad i
LI, a

capio, sicut, cum aliquis sanatur per seipsum, tota sanitas est a natura, cum autem aliquis sanatur auxilio medicina, sanitas partim est a natura, partim ab exteriori principio. &c. Et paulo post: Sunt ergo in hominibus aliqui habitus naturales, tanquam partim a natura existentes, & partim ab exteriori principio. In apprehensivis potentia potest esse habitus naturalis, secundum inchoationem, & secundum naturam speciei, & secundum naturam individui. Secundum quidem naturam speciei, ex parte ipsius anime, sicut intellectus principiorum dicitur esse naturalis. Ex ipsa enim natura anime intellectus convenit homini, quod statim, cognito, quid est totum, & quid est pars, cognoscat, quod omne totum est majus sua parte. Sed, quid sit totum, & quid sit pars, cognoscere non potest, nisi per species intelligibiles, a phantasmatibus acceptas. Hæcenus Thomæ verba, quæ non possunt intelligi de sola potentia: secus enim omnis habitus, etiam industria & labore nostro comparatus, naturalis fuerit.

XXI. Ad reliquis objectiones eodem modo respondetur. Quod enim dicunt, si vis illa agendi una cum promptitudine & facilitate a natura tribuatur, nullam esse rationem, cur ibi principium agendi a potentia naturali distinctum ponatur, imo futurum esse, ut potentia ab initio tam facile actum exerceat, quam postea, ad id jamdudum respondit Thomas, 1, 11, quæst. 11, art. 1, ad 2, tamque accurate, ut nova respon-

sione non sit opus. Audiatur ergo, si placet, Magister, discipulos suos hac in parte castigans. *Ad secundum, inquit, dicendum, quod aliquid etiam naturaliter potest superaddi potentia, quod tamen ad ipsam potentiam pertinere non potest: sicut in angelis non potest pertinere ad ipsam potentiam intellectivam, quod sit per se cognoscitiva omnium, quia oporteret, quod esset actus omnium, quod solius DEI est. Id enim, quo aliquid cognoscitur, oportet esse actualem similitudinem eius, quod cognoscitur. Unde sequeretur, si potentia angeli per se ipsam cognosceret omnia, quod esset similitudo & actus omnium. Unde oportet, quod superaddantur potentia intellectiva ipsius aliqua species intelligibiles, quæ sint similitudines rerum intellectarum, quia per participationem divine sapientia, & non per essentiam propriam possunt intellectus eorum esse actus ea, quæ intelligunt. Et sic patet, quod non omne id, quod pertinet ad habitum naturalem, potest ad potentiam pertinere. Quod igitur isti fieri non posse dicunt, & hic fieri debere asserit, & ita quidem, ut, nisi id esset, potentiam angelorum similitudinem & actum omnium esse, absurde secuturum, dicat. Neque dicere licet, omnes æque faciles esse in assentiendo principiis istis, si essent a natura, nam & ipsi Conimbr. paullo ante falsi sunt, nullum esse adeo manifestum principium, cuius veritas occasione aliqua latere nequeat, etiam communissima illa a quibusdam negata esse, contra quos Aristoteles, iv Metaph. disputet.* Ad.

Addunt & id, negari non posse, horum etiam principiorum terminos aliquando remisse, aut cum minori advertentia cognosci, unde multum juvare habitus ad facile assentiendum.

XXII. In altera ratione, ubi pergunt, si species non sunt innatæ, sed per sensus acquisite, sequi, nec habitus ipsos innatos esse, sed acquisite, id vero dicimus, 1, non sequi, negatis speciebus, negari habitum ipsum. Non sequitur id, inquam, de notitia habituali; absentia specierum arguit quidem absentiam cognitionis actualis, non vero habitualis defectum, nam hæc etiam sine speciebus & phantasmatibus inesse potest. Porro & 2, dubitari potest, an nullæ species nobis sint innatæ: nam & Scaliger fatetur, cum anima nostra quasdam notitias connatas esse, easque a Philosopho vñ dici, & bruta ipsa suæ actionis principia connata habent: non sunt autem homines brutis deteriores.

XXIII. Quod porro dicunt, si species essent innatæ, fore, ut homo iis confestim utatur, cum velit; id de actuali non habituali notitia verum est, nam ad habitualement, si Paulo Soncinati, lib. vii Metaph, quæst. xi, credimus, satis est, si species sint in mente, etsi intellectio non fiat. Quemadmodum enim intellectus, ratio, & cætera, quæ naturaliter insunt, non statim operantur, ita & ista cognitio homini inesse potest, ut ut illa non statim sese exerat, sed demum, ubi ætas provehitur, aduetur. Quare

negato actu secundo, non illico negandus est primus. Nec magis urget alterum, si sint ingenitæ species, esse quoque ingenitos ipsos habitus scientiarum. Nam ipse Thomas, ubi supra, ad 3, agnoscit, naturam non æqualiter se habere ad cauſandas omnes diuerſitates habituum, cum quidam poſſint cauſari a natura, quidam non, & ideo non ſequi, ſi aliqui ſint naturales, omnes tales eſſe.

XXIV. Tandem, cum addunt, ſi anima intellectiua non acciperet ſpecies a ſenſibus, ſed aliunde, non eſſe, cur ſocietatem corporis aſſeraret: nec enim dici poſſe, eam uniri ipſius corporis gratia, cum forma non ſit propter materiam, uniri igitur propriæ operationis gratia: quod ſi autem jam tum habeat ſpecies connatas, non uniri propter eaſdem, & operationem, ideoque non poſſe excuſari, quin debeat dici ex parte operationis fruſtra eſſe, id totum falſum eſt: nam & propter corpus unitur, & propter operationem animæ propriam. Propter corpus quidem, ut cum eo conſtituat totum compoſitum, tanquam perfectius quid partibus ſeorſim ſumptis; ſimiliter & propter operationem: nam, etſi quædam principia ſint connata, multa tamen adhuc reſtant, quarum cognitionem per ſenſus haurimus. Atque, hæc ita explicari poſſe, putamus, gratias habituri, ſi quis meliora attulerit.

QUÆST.

QVÆST. III,
DE
COGNITIONE DEI NATVRALI.

I.

Quæ de Cognitione Dei Naturali, ejusque *Existentia* ac *Quidditate*, dicenda fuerunt, ita fere absolvimus: reliquum est, ut, *Qualis* illa Notitia fuerit, quid item ac quantum Ethnici naturæ ductu de vero Deo indagare potuerint, ac denique, an & quid ad finem supernaturalem contulerit, nunc porro quoque ostendamus, & hic ultimus quasi agon nobis adhuc restat.

II. Nunquam quidem defuerunt homines *ὑβιάς*, & superbi, qui eo usque insanix progressi, ut dicerent, *se se Deum tam perfecte cognoscere, quam perfecte ipse Deus se cognoscit*, ex quibus unus fuit Aëtius hæresiarcha, Diaconus Antiochenus, qui, cum disciplinarum secularium prorsus rudis diu fuisset, tandem autem Alexandriæ Aristotelico cuidam Philosopho ac Sophistæ operam navasset, ab eoque Dialecticam didicisset, in similia verba erupit, ut testis est Epiphani. Hær. lxxvi, ubi, postquam quadraginta septem capitula, quibus Aëtius perniciosissimam suam doctrinam de Filio Dei disseminare statuerat, recitasset ac refutasset, denique tanquam *συντομὴν*, seu compendium, ac cumulum aliquem eorum, *ὅσα ἐτόλμησεν τὰ αὐτῆς ὅμα, καὶ*

τῶν ὑπ' αὐτῇ μεμαθητευμένων, καὶ ἐν θράσει εἰς
 ὑψὺ ἀραγὴν διάνοιαν, καὶ ὑπερογκὰ βλασφη-
 μῆσαι, *qua impudens ipsius ac discipulorum ejus os
 impotenter ac blasphemè eructavit*, hæc ejusdem
 verba subjungit: ὅτι ἕως οἶδα τὸν Θεόν, ὡς παρ
 ἑμαυτὸν, καὶ ἕτος ἔτι οἶδα ἑμαυτὸν, ὡς τὸν Θεόν.
*Ego sic novi Deum, tanquam me ipsum, & adeo
 quidem novi, ut ne me quidem magis noscam, quam
 Deum.* Et iterum paullo post: τὸν Θεὸν οἶδα μὲν
 σαφῶς, ποταπὸς ἐστὶ, καὶ πῶς ἐστὶ, καὶ οἷός ἐστι, καὶ
 τίς ἐστὶ, *Deum clare novimus, quomodo, quis, ac qua-
 lis sit.* Et hæc ipsa quidem non ex Salvatoris
 nostri, non Patris, aut Sancti Spiritus voce, non
 ex fide veteris aut novi instrumenti, non pecu-
 liari revelatione, Prophetis & Apostolicis facta,
 ἀλλὰ φύσει, κατ' εἶδησιν, *sed natura, secundum
 scientiam*, sese habere, jactavit, quemadmodum
 reliqua visibilia, lapides, ligna & similia sensuum
 ope cognoscuntur, ac manibus contrectantur,
 sicut ista Epiphani, in loco isto prolixè exequi-
 tur.

III. Eundem errorem S. Chrysostomus,
 Hom. II de Incomprehensibili Dei Nat. Tom.
 V oper. reliquis Anomæis tribuit, sic dicit, quod
 cum Aëtio, ipsum Dei filium non tantum Patri
 dissimilem, sed & plane creaturam esse, statue-
 rent, ut Theodoret. lib. IV de Fab. Hæret. seu,
 ut ipse vocat, αἰρετικῆς κακομυθίας ἐπιτομῇ,
hæretica pravitate compendio, itemque lib. II Hi-
 stor. Eccles. cap. XXVII, testatur. Verba S. Patris
 hæc

hæc sunt: *Quod nemo unquam dicere ausus est, ipsi Anomæi, se ita Deum nosse, quemadmodum Deus se ipse novit, asserunt. Hi quandoque Eunomiani & Exucontii appellati sunt, quod ex Theologia texonoyia facerent, seque nihil ex rebus divinis ignorare, sed ipsam etiam Dei essentiam exacte scire, & eandem de Deo notitiam habere, quam Deus de seipso habeat, jactarent, apud eundem Theodoro reum lib. iv Hæretic. Fabularum. Tandem in Clementinis, Ad nostrum, De Hæreticis, art. iv & v, Beguadorum & Beguinarum mulierum in regno Alemaniæ errores, in Concilio Vienne si a Clemente v, P. P. rejecti ac damnati, recensentur, inter quos quartus est, quod homo possit in finalem beatitudinem, secundum omnem gradum perfectionis, in præsentī assequi, sicut eam in vita obtinebit beata. Quintus, quod qualibet intellectualis natura in seipsa naturaliter sit beata, quodque anima non indigeat lumine gloriæ, ipsam elevante ad Deum videndum, & eo beate fruendum.*

IV. Hæc, & si alicubi his similia inveniuntur, tam absurda equidem sunt, ut monstri instar sit, homines tam infrunitos reperiri, nec sciam ferme, an ullus aliquis Philosophorū, etiam acutissimorū, ita insaniverit. Quod enim Psellus, ad XLII Nazianz. Oration quoddam Platonicos illis prævisse, ait, id vero credibile non est, præcipue, cum non tantū Plato fateatur, potius se, quid Deus non sit, quam, quid sit, videre, Item, summū Deum nec scribi

unquam,

unquam, nec dici posse, ut testatur Plotinus, Ennead. vi, lib. ix, cap. iv, quod etiam repetit Apulej. de dogmat. Platoniciis, & lib. vi de Rep. Summum bonum a nobis, seu sensu, seu animo, perfecte cognosci, diserte neget; sed & Isidorus Clarius, Orat. v, Tom. i, ipsius Plotini vocem, quæ lib. vii Ennead. vi, cap. xxi, extat, commendat: *Acute, inquit, & erudite Platonici vir, Plotinus, ait: Tu, quoties Deum dices, vel cogitabis, reliqua auferes omnia, quæ cum abstuleris, & ipsum solum reliqueris, ne quæras ultra, quid addas. sed potius, ne forte adhuc reliqueris aliquid, quod inde cogitatione tua nondum satis abstuleris.* Sancti Patres vero usque adeo id pro absurdo habuerunt, ut nec ea quidem, quæ ante pedes sunt, perfecte ab homine cognosci posse, statuunt, nedum res divinas, a quibus tamen illa tantum distant, ὅσον ἑκατότης ἀπὸ τοῦ αἰνός, sicut & Sap. ix, 16, 17, dicitur: *Vix conijcimus ea, quæ in terra sunt, & quæ ad manus sunt, laboriose invenimus, quæ autem in cælis sunt, quis peruestigavit? Et consilium tuum quis noverit, nisi tu dederis sapientiam, & miseris Sanctum Spiritum tuum e locis altissimis?* Unde ipse Chrysostomus, ubi supra, mox ad Anomæorum opinionem subijcit: *Hoc audent dicere, hoccine refelli debeat argumentis, & tanquam res dubia, in controversiam cadere? Nonne satis hac ipsa verborum serie efficitur, ut omnis eorum impietas late ostendatur? Nonne statim ex se ipsum eorum scelus explicatur, & deprehenditur furor? Id manifesta est insania, minime ignoscenda, novæ impiet-*

impietatis modus, nemo unquam aliquid tale vel animo concipere, vel lingua referre, ausus est. Intellige, homo infelix & miser, quidnam sit, & quid queras atque explores. Homo cum sis, Deum scrutaris, & nosse omnibus modis contendis. Tua ipsa tantummodo nomina satis tue amentiae possunt monstrare nimietatem. Homo es, terra, cinis, caro, sanguis, fœnum, flosculus, herba, umbra, fumus, vanitas, & si quid iis exilius, vitius atque abjectius. Et paullo post idem Sanctus: Cœli, quod quotidie cernis, naturam reddere nequis, & invisibilis DEI substantiam scire indubie, profiteris. Quis tam rudis & insensatus sit, quin his, qui hæc garrulant, non postremum insanie irroger? Similiter & S. Epiphanius Aëcium alloquitur: Ne dicas mihi, quod Deum noscas incomprehensibilem, qui per fidem a servis suis cognoscitur: dic ac recense mihi fundamenta terræ, promptuaria abyssi, venas maris, inferni locum, aëris mensuram, cœli formam & crassitudines, quod sit summum supernorum, quod extremum infernorum, quid in dextra, quid in sinistris, creationem & formationem tui ipsius mihi ediffere, & eorum, quæ in terra sunt: inenarrabilia, numerum, ac mensuras. Gemina his apud Nazianz. Augustin. Ambros. Basilium, aliosque Patres, & longe celeberrimos Ecclesiæ Doctores, nec uno tantum seculo, sed omnibus, aut plerisque, nec paucos, sed universos, aut certe longe plurimos, nec obscuros illos, sed maximos & illustrissimos, leguntur, quibus solide ac copiose Aëcii sententiam refutant, & ad obiectio-

siones, quæ pro eadem fieri solent, tam curiose respondent, ut, post illa tantorum Doctorum verba, plura de hac controversia tractare velle, sit vero, tanquam prælio jam depugnato, aciem instruere. Aut, si & hos rejicit Aëlius, saltem re-
 Aëlius sentire potuisset, si ille ipsum potius Aristotelem ac Platonem, aut genuinum aliquem eorum discipulum, quam levissimum impostorem, nec tam argutis ac sophismata Dialecticorum, seu τὴν καινὴν διαλεκτικὴν, ut Epiphanius loquitur, quam vera artis præcepta, audire ac discere maluisset.

V. Nihilominus tamen, ut ex abundantia id demonstramus porro, & ne quis habeat, quod tergiversetur illa in parte amplius, unicum atque alterum adhuc est addendum. Ante omnia vero distinguendum est inter Cognitionem DEI Quid-ditativam, & Quid-ditatis. Hæc est, ut P. Hurtad. de Mendoza, Disp. x de Anim. sect. iii, §. 17, definit, quæ quovis modo, confuse & incomplete, attingit rei essentiam, seu, qua unus saltem quidditativus rei conceptus cognoscitur; Illa vero, qua clare & distincte cognoscitur conceptus rei proprius, & essentialis, seu, qua omnia prædicata essentialis, usque ad ultimam differentiam, cognoscuntur. Unde recte concludunt Aegid. ii Metaph. quæst. xv, Ferrariens. iii contra gentes, cap. v, Javell. ii Metaph. quæst. ii, Cajetan. de Ente, quæst. i, et i p. q. lxxxviii, art. ii, Fonseca, ii Metaph. cap. i, quæst. ii, Suarez. Disp. iii, Metaph. sect.

fect. xii, quædam prædicata quidditativa cognosci naturaliter posse, etsi tota quidditas non æque percipiatur. Deinde aliud est, Deum perfecte posse cognosci, & aliud, ipsum a nobis in hac vita, idque non ex lumine supernaturali, & peculiari revelatione, sed naturæ ductu, pervestigari posse, sicut aliud est, lineam ex se & sua natura in infinitum posse produci, seu Stellas in cœlo posse numerari, & aliud, id a nobis in hac vita præstari posse. Illud nudam non-repugnantiam dicit in objecto, non esse absurdum, nec implicare contradictionem, hoc vero, perfectionem in intellectu, Deum perfecte cognoscente, quemadmodum contra, Deum a nobis cognosci non posse, imperfectionem aliquam involvit. Etsi igitur facile concedamus, cognosci Deum perfecte posse, si absolute loquamur, secus enim nec semetipsum cognoscere posset; id tamen a nobis in hac vita lumine naturæ fieri non potest. Causa hujus præcipua est DEI ipsius majestas ac sublimitas, non tantum in iis, quæ pertinent ad οἰκονομίαν seu mysterium Incarnationis, sed & quæ ad Θεολογίαν strictè dictam, seu, doctrinā de Deo ejusque essentia, spectant. Θεὸν, ὃ, τι ποτὲ ᾤρηται τὴν φύσιν, καὶ τὴν ὁσίαν, ὅς τις εὖρεν ἂν ἀνθρώπων, ἕτε μὴ εὖρη αἶτ Nazianz. Orat. ii de Theol. *Quid Deus sit secundum suam naturam & essentiam, nemo hominū unquam invenit, nec inventurus quiaquam horum est.* Et Tertullian. de Trin. *Excedit humanam mentem Dei potestas, ad quam sese infirmitas protendat,*
infir-

infirmā reddetur, dum hoc ipsum, quod obtinet, amittit. Nam quoad essentiam est ὑπερῶς, ὑπερβολῶς ἔχον τὸ ὑπερῶσιον, ut Hierotheus loquitur apud Dionysium, lib. i, cap. i, de divinis nominibus: Quoad personas vero, seu Trinitatem, tam abstrusum continet mysterium, quod captum nostrum usque adeo excedit, ut nihil omnium de eo ex lumine naturæ vel suspicari quis possit, sed ex una & sola revelatione petenda ac cognoscenda sint. Quanta autem est Dei ipsius majestas, tanta etiam sine omni dubio mentis nostræ cæcitas ac hebetudo est, quæ in rebus naturalibus sæpe caligat non secus, ac vespertilionum oculi nistant ad clarum lumen solis, ut Aristot. lib. i. Metaph. cap. i, ait,

VI. Quod autem Deus a nobis perfecte & quidditative, seu, secundum omnia prædicata essentialia, in hac vita cognosci nequeat, id facile demonstratur. Certe primum ac proprium Dei conceptum, per quem primo omnium constituatur, ac ab aliis distinguatur, non cognoscimus in hac vita, multo minus reliqua, quæ ex hoc deducuntur. Etsi enim Mendoza, Disp. x. Metaph. sect. ii, §. 17 & 18, primum Dei conceptum existentiam ejus actualem esse, dicat, quæ sit quasi fundamentum, unde & ex quo reliqua ipsius attributa emanent, & per quam tum a rebus aliis omnibus, tum a cæteris attributis & perfectionibus suis, distinguatur, nihilominus tamen illa nec primus ac differentialis Dei conceptus, nec cau-

sa

sa est reliquorum attributorum, ab essentia DEI emanantium. Primus non est, cum per existentiam actualem, nec complete, nec incomplete, respondeatur ad quæstionem Quid, sed tantum, An & Quomodo sit: Nec est causa reliquorum conceptuum, infinitatis, omnipotentiae, omniscientiae, misericordiae, iustitiae & similium. Cum enim quæritur, Quare Deus sit infinitus, omnipotens, omniscius? non responderetur sufficienter, ideo eum talem esse, quod necessario existat.

VII. Deinde vix unum & alterum attributum Dei essentiale naturaliter cognoscitur, reliqua omnia, ut, Deum esse simplicissimum, immutabilem, omnipresentem, omniscium, misericordem, & similia, atque hæc non esse accidentia, sed ipsam Dei essentiam, nec inter sese aut ab essentia divina realiter distingui, vel plane non, vel admodum difficile, iisque paucis, & non nisi supposita revelatione scripturarum, & ita quidem, ut facile iterum totarum gentium mentibus elaborantur, innotescunt, ut non sine causa Plotinus, Platonicus philosophus, Ennead, vi, lib. ix, cap, iii, asserat: *Exactissime de Deo loquentem neque illud, neque hoc dicere, fas est. Sed nos, velut extrinsecus circumvagantes, affectiones sive passiones ibi nostras, utcunque possumus, interpretari conabitur.* Eodem modo & Anselmus, in Prosol. cap. xvi, *Circumspicit anima mea, & non videt pulchritudinem tuam, auscultat, & non audit harmoniam*

tuam, olfacit, & non percipit odorem tuum, gustat, & non cognoscit saporem tuum, palpat, & non sentit levitatem tuam. Habes enim hæc, Domine Deus, in te modo ineffabili, cum ea dedisti rebus a te creatis tuo sensibili modo, sed obriguerunt, sed obstupuerunt, sed obstructi sunt sensus animæ meæ vetusto languore peccati. Unde & Scholastici nonnulli, Gabriel Biel, ante hos ^{CL} annos in Academia Tubingensi Professor, itemque Guil. Occam. in 1, dist. 11, quæst. x, apud Greg. de Valent. T. 1 Disp. 1, quæst. xi, punct. 11, excussis non suis & recentiorum tantum, sed antiquiorum etiam Scholasticorum, & ipsorum ethnicorum, pluteis, nec unitatem quidem Dei naturali ratione probari posse, sed ex sola revelatione innotescere, asseruerunt. Imo hodie quoque, aut paullo ante hæc tempora, reperti & alii sunt, qui, etsi revelationem divinam utcunque recipiant, & propterea Christianos se dicant, talesque haberi ab omnibus velint, ipsam tamen Dei unitatem una cum paganis evertunt, & plures Deos etiam veros faciunt. Smalzius in Examine centum errorum, a Smiglecio, Jesuita, sibi objectorum, errore, ut vocat, 1, Affirmamus, ait, non tantum Deum illum unum, qui Pater est Christi, sed alios etiam, in quorum medio Deus ille stetit, & qui ab illo Dii & filii altissimi sunt appellati, & inter hos suo modo Jesum Christum, esse veros Deos. Non sunt enim falsi Dii: Inter verum autem & falsum nullum est tertium, sed sunt contraria ^{aperta}. Certissimum igitur est, non unum

tan-

tantum Deum esse verum. Et iterum, errore vi, Sextum errorem facit Smiglecius: Homines & Angelos esse veros Deos. Hic revera idem est cum primo. Nam, si confiet, non tantum unum Deum Patrem esse verum Deum, consequens est, alios etiam, quos scil. scriptum Deos appellat, nempe homines & angelos, Deos esse veros. Similiter & Socino, cui cum a Wieko, Jesuita, obiectum esset, eos more Ethnico dividere gradus in divinitate, atque inducere & adorare duos Deos, eosque valde inaequales, & tantum non contrarios, ipse ad hæc, cap. i contra Bellarm. & Wiek. pag. 24, & 25, ita respondet: Dico, nos in divinitate colenda nullo pacto cum Ethnicis comparari posse, præsertim vero in eo, quod in ipsis culpandum est. Atque, eo omisso, quod Ethnici non duos tantum (ut nobis Wiekus obicit, & propter hoc ipsum nos cum Ethnicis comparat, & eorum similes esse, dicit) sed innumeros, colebant, affirmo, Ethnicorum errorem non in eo fuisse, quod non unum tantum Deum colerent, in eo præcipue, curam mundi, atque hujus universitatis, & ipsarum rerum humanarum, in plures Deos distribuerent, qui nequaquam ab uno solo Deo penderent, a quo videlicet curam istam sibi demandatam habuissent, cuique essent subordinati, adeo, ut eorum potestas, & gubernatio, & cultus, quo propter illam afficiebantur, ad unum illum Deum tota referretur. Tamen si enim Jovem maxima pars ceteris omnibus Diis anteponebat, & mul-

torum Deorum parentem & auctorem faciebat, non tamen, ex causa, Neptunum aut Plutonem divinum imperium, quod illis tribuebant, a Jove sibi donatum fuisse, dicebant, sed, utpote ejus germanos fratres, in mundi totius imperio inter se cum ipso dividendo, illud sorte obtinuisse, credebant. Errabant igitur turpiter, quod non solum ista sibi fingerent, sed ad unum principium omnia non referrent: quemadmodum, necesse esse, ut fiat, scriptores Christiani, adversus eos disputantes, probant, atque demonstrant. Quæ omnia quam absurda & impia, imo ipsissimus paganismus, sint, & totam religionem Christianam evertant; nihil opus est nunc pluribus demonstrari: saltem id obiter notetur, falsum esse, gentiles ita plures Deos confinxisse, ut non uni summo cæteros subjecerint: certe plerique ex illis, qui paullo saniores erant, unum Jovem, qui omnia condidisset, & animo suo moderaretur, naturaliter agnoscebant, eumque patrem Deumque hominumque vocabant, cæteros pro minoribus Diis, & hujus summi ministris, habentes, uti ex ipsorum Poetis & Philosophis, Orpheo, Virgilio, Ovidio, Thalete, Chrysippo, Zenone, Aristotele, & similibus, Lactant. lib. 1 de falsa relig. cap. v, seqq. & lib. de Ira, cap. xi, Justinus Martyr, libro de DEΙ *μοναρχία*, Athenagoras, Apol. pro Christianis, Iren. lib. ii adv. Hæreses, Tertull. in Apol. cap. xvii, Cyprian, tract. iv de Idolor. vanit. Arnob. lib. ii adv. gentes, Clemens Alex. in exhort. ad gentes, Euseb. lib. xi de præparat. Evang.

Evang. cap. ix, Theodoret. lib. ii de curand. Græc. affect. Morn. lib. de vera relig. cap. iii. probant. De Socrate & Platone res usque adeo liquida est, ut Justinus Martyr, in Apologia sua ad Antoninum, Imperatorem, eos hac in parte Christianos dicat: propterea enim ille ad cicutam damnabatur, quod multitudinem & absurditatem Deorum gentilium detestaretur; hic autem regulam proposuit, unde, quæ ejus genuina ac vera sententia de epistolis serio a se scriptis esset, dignosci certo posset. *Hinc discas tu, scribam ego serio, nec ne. Cum serio, ordior epistolam ab uno Deo, cum secus, a pluribus, scribit Epistola xiii ad Dionysium. Recte Paullus Orosius, lib. vi Histor. cap. i, dicit, communem sententiam sapientium esse, unum esse solum & verum Deum, ceteros autem, qui dicuntur Dii, nihil esse, nisi unius illius servos & ministros. Quare verum non est, Ethnicorum errorem in eo situm fuisse, quod illi curam mundi atq; hujus universitatis, & ipsam rerum humanarum providentiam, in plures Deos distribuerent, nec ad unum principium omnia referrent. Quicquid autem hujus rei sit, certe paganismus est, sive hoc, sive illud, asseratur, hoc est, sive plures uno Deos veros colas, qui universitatis hujus curam communem habeant, sive unum aliquem summum reliquis veris Diis præfeceris, idololatræ sunt & Deum ignorant, qui serviunt iis, qui natura non sunt Dii, uti Apostolus loquitur ad Galat. iv, 8.*

VIII. Et si igitur cognoverint, aut cognoscere potuerint, Ethnici, Deum esse unum, si oculorum aciem intendere voluissent, multa tamen alia restant, de quibus ipsi ne per somnium quidem cogitarunt, multa quoque alia Deo tribuerunt, quæ ipsi tribui non possunt, ut, Deum esse corporeum, præscientiam aut providentiam rerum non habere, omnia necessario agere, non omnium rerum auctorem esse, & si quæ similia. Et si item omnipotentiam Dei ac providentiam ut eunque cognoverint, eumque facere posse, quæ possibilia sunt, an tamen hoc vel illud fieri ab eo possit, an item omnium, etiam vilissimarum & abjectissimarum rerum, curam gerat, non æque certo scire potuerunt. Ut nihil nunc dicam, quod Aristoteles Deum aliquoties *ζῶν αἰδιον καὶ ἀπείρον*, sempiternum atque optimum, v. Topic. 1, & xii Metaph. cap. vii, appellat, vocabulo maiestati divinæ non satis convenienti, quod ex Platonis schola hausit, qui & ipse Deum dicebat *ζῶν ἀθάνατον, ἀυταρκὲς πρὸς ἐνδρακυρίαν, ἁγίαν αἰδιον, τῆς ἀγαθῆς οὐσίως ἀντίαν*, Animal immortale, sibi que ipsi ad beatitudinem sufficiens, mentem æternam, & boni in natura causam, ut Chemnit. noster, T. 1, Loc. de Deo, cap. iii, commemorat. *Ζῶν* autem, non *ζῶν*, apud Aristotelem legunt plerique Scholastici, quibus vetus illa translatio, quæ inter Averrois opera extat, in usu fuit, idque faretur ipse Thomas, cum,

Com.

Comment. in xii. Metaph. cap. iix, ait: *Inde est, quod in fama hominum dicitur, quod Deus est animal sempiternum & optimum*, quicquid etiam dicant Albertus & Alensis, qui ipsi tamen fatentur, vulgari & improprio nomine eum usum, cum Philosophum deceat, ubicunque de Deo loquitur, ab his nominibus abstinere, quæ divinam excellentiam aliqua ex parte diminuere videntur. Huius generis tamen multæ aliæ absurdæ opiniones tum temporis inter Platonicos, de Deo & diverso in eo sexu, fuerunt, ut Plutarch. lib. i de Placit. Philos. cap. vii, Scalig. Exerc. ccclxv, Casaub. contra Baronium, testantur. Unde Synesius, ὁ πλατωνικώτατος, in Hymno inde Deo: Σπέρμα τὸ πάντων, ρίζα καὶ ὄρπαξ, φύσις ἐν νοεραῖς, θῆλυ καὶ ἄρρεν, semen tu omnium, radix & jaculum, natura in intelligibilibus, femina & mas. Contra quam impiam opinionem S. Patres multa scripserunt, præcipue Irenæus, lib. i adv. Hær. cap. x, ὁ ἀνευνήτ, καὶ ἀνάσι, μήτε ἄρρεν, μήτε ὁ θῆλυ, carens intelligentia, & substantia, neque mas neque femina. Alii veterum observarunt, quia nullus in Deo sexus, propterea Spiritum S. Ebraice feminino genere dici, Latine masculino, Græce neutro, cuius observationis etiam meminit sermo de Assumptione B. Mariæ, falso Hieronymo ascriptus. Quomodo nunc, Deum absolute & simpliciter cognoscere, dicendus est, qui ei adimit aliquam proprietatem, sine qua Deus non

est, veleam tribuit, quæ in Deum competere non potest? Sane Apostolus gentes eo respectu sine Deo esse, Eph. II, 12, & tenebras, cap. V, 8, & verum Deum ignorasse, Actor. XVII, 23, diserte dicit.

IX. Sed, antequam hinc abeamus, unicum adhuc considerandum est. Dicunt enim, multa reperiri in gentilium scriptis, quæ cum doctrina Ecclesiæ conveniunt, ipsos quoque Sanctos patres & Ecclesiæ Doctores, Justinum Martyrem ac Philosophum, Athenagoram, Tertullianum, Minutium Felicem, Arnobium, Lactantium, Athanasium, similesque, pleraque mysteria fidei nostræ apud eos reperisse. Ita, mundi creationem Socrati ac Platoni innotuisse, Theodoret. Epit. Decret. Div. cap. V. asserit. Resurrectionem mortuorum Lactantius Firmianus, lib. vii, cap. xiii, ex Melio Chrysippo probat, cujus verba ex libris, quos de providentia conscripsit, ibidem refert: τὰς δὲ ὅσας ἔχοντες, δῆλον, ὡς ἔδεν ἀδύνατον, καὶ ἡμᾶς μετὰ τὸ τελευτῆσαι, πάλιν περιόδων τινῶν εἰλημμένων χρόνῳ, εἰς ὃ οὐν ὁσωμέν, ἀποκαταστήσεως αἰτήματα. Augustinus quoque, lib. xxii de Civ. Dei, cap. xxviii, quosdam Christianorum dicere, ait, Platonem simile aliquid de mortuorum resurrectione sensisse, idemque fecisse M. Varrorem in libris, quos conscripsit de gente populi Romani, cujus verba quoque ibidem hæc refert: *Genethliaci quidam scripserunt, inquit Var-*

Varro, esse in renascendis hominibus, quam appellant *παλιγγενεσιαν* Græci, hanc, scripserunt, confici in annis numero quadrigentis quadraginta, ut idem corpus & eadem anima, quæ fuerant conjuncta in homine aliquando, eadem rursus redeant in conjunctionem. Et notus alias ejusdem locus est, quo dicit, se initium Evangelii Johannis apud Platonicos reperisse, qui ipse etiam plura de Trinitate ex Porphyrio, ejusque præceptore Plotino, utroque Platonis discipulo lib. x de Civ. Dei, cap. xxiii, adducit. Idem & Eusebius, in libris suis de Præparat. Evangel. cap. xii, facit. Imo reperti & alii sunt, qui non tantum, Ethnicis pleraque mysteria fidei nostræ cognita fuisse, afferunt, sed &, universam doctrinam de SS. Trinitate e Philosophia primum manasse, contendunt, sicut Johannes Sommerus adversus Petrum Carolium, præfat. lib. i, scribit: *Occasionem luculentam his malis præbuit Philosophorum nimis Platonisantium curiosa subtilitas, qui Evangelistarum & Apostolorum scripta, neglecta Hebraici sermonis proprietate, ad Græcæ linguæ usum interpretari superstitiose conati, ex Johanne Platonem, ex Paulo Philosophum fecerunt. Et iterum paullo post: Quid sit? consurgit orbis Christianus & ad opprimendos nefarios (ita enim appellant) conatus se mutuo exhortatur, quasi ipse pietatis Christianæ cardo in Platonis Timeo, unde nuda illa (ignoscat mihi talia referenti Salvator meus) de Triade & Henade manarunt, consistat. Credibile*

G 5

lene est, tantam cuiquam vecordiam innatam esse, ut non tantum summa illa fidei mysteria negaret, sed & nugæ esse, atque ex Ethnicorum libris primo omnium fluxisse, diceret? Quidquid autem hujus rei sit, certum est, apud Platonem, Aristotelem, Hermerem, aliosque, vestigia Trinitatis reperiri.

X. Verum enim vero omnia hæc non ex naturali intellectu lumine & captu, sed, vel ex informatione & colloquio cum Christianis Judæisque, vel ex illuminatione verbi, & ipsorum Prophetarum libris, vel denique ex fama ac traditione majorum hausta erant, quod apud Ethnicos futurum, Salomon, sapientissimus Israelitarum res, non prædixit tantum, i Reg. viii, 42, *Audient extranei, & qui non e populo Israelitico, de nomine tuo magno, & manu tua robusta, ac brachio tuo extento,* sed & ipse expertus paullo post est, cum, excita sedibus suis, Regina Sabæa propterea Hierosolymam veniret, i Reg. X, 1, seqq. Ita Naaman, Syrus, ex Colloquio, quod cum ancilla captiva habebat, ad terram Israelis ac unius veri Dei cognitionem adductus est, ii Reg. v, 2, seqq. Simile Colloquium Aristotelis cum Judæo Josephus lib. i contra Appionem Grammaticum, ex Clearcho, Aristotelis discipulo, descripsit, unde, nec ipsum religionis Christianæ prorsus expertem fuisse, Coelius Rhodigin. lib. xvii, Antiq. Lectio. cap. xxxvi, suspicatur: Ipsum enim, cum extrema sibi ingruere præsensisset,

sisset, dolore ac spe in lachrymas amplius profu-
 tum, primæ causæ misericordiam intentius im-
 plorasse. Quin & Homeri sententiam ex O-
 dyssæa vehementer approbasse, qua, non esse
 immortalibus Diis indecorum, pronunciatur,
 hominis naturam induere, quo ab erroribus se-
 vocentur mortales. Additque Coelius ibidem,
*augurari nonnullos viros, gloriæ ejus addictos, eum
 hac in re præsensisse Christi adventum.* Ita credi-
 bile est, temper aliquos inter gentes vixisse, qui
 eos, singulari Dei beneficio, mysteria divina e-
 docerent, ut, Daniel in Babylone, in Ægypto
 Israelitæ, & postea Jeremias Propheta, ipse quo-
 que Abraham & Lothus inter Cananæos & So-
 domitas. Platonem certe ac Pythagoram Ægy-
 ptum adiisse, Augustinus testis est, lib. viii de
 Civ. Dei, cap. iv, & xi, seque aliquando existi-
 masse, eum Jeremiam Prophetam audivisse, aut
 scripturas propheticas in eadem peregrinatio-
 ne legisse, supputata nunc temporum ratione,
 intelligere sese, Platonem centum ferme annis
 Jeremia minorem esse, itaque nec eundem vi-
 disse, nec easdem scripturas legisse, quæ non-
 dum fuerant in Græcam linguam translata,
 verisimile tamen esse, istas per interpretem
 ac colloquendo didicisse, cujus rei inter alia
 hoc indicium esse, ait, quod iisdem fere ver-
 bis, quibus Moles librum Geneseos, ille Ti-
 mæum, seu librum de Constitutione mun-
 di, exorsus fuerit. Afferunt nihilominus
 Justinus

Justinus Martyr, Apol. II pro Christianis, & Parænesi ad gentes, Tertull. Apologet. cap. XLIV, Euseb. lib. IX de Præpar. Evangel. cap. III, Cyrill. lib. I & II contra Julianum, Clemens Alex. in Protrept. & Stromat. Theodoret. de Græc. affect. curand. Platonem pleraque sua ex Mose mutuatum, quem, meru mortis, non ausus fuerit nominare, imo reliquos Platonicos ex Prophetarum Scholis multa ad suam Philosophiam transtulisse. Unde & Numenius, Philosophus, dicere solebat, nihil aliud esse Platonem, quam Mosē Attice loquentem: *τίς ἐπὶ πλάτων, ἢ μωυσὴς ἀττικίζων*; uti Eusebius, lib. XI de Præpar. Evang. cap. VI, tradit. Tandem multa quoque per manus tradita ad posteros devenerunt, quæ, licet magnam partem fuerint depravata, umbræ tamen ac vestigia quædam permanserunt. Unde & ipse Plato pleraque sua his verbis confirmat, *ut antiqui perhibent, ut in priscis oraculis habetur*, sæpe quoque mentionem facit *τῶ ἀρχαίῳ λόγῳ*, vetusti, & verissimi sermonis, quem Justinus de vera traditione, ex Mose vel aliis sanctis viris in Ægypto hausta, interpretatur. Similia Sueton. in Vespasiano de veteri quadam ac constanti opinione pervulgata tradit, futurum, ut aliquis, ex Judæa oriundus, rerum potiretur: *Percrebuerat, inquit, oriente toto vetus & constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur.* Ita & Tacitus, cum, toto ferme

me
dæo
sacri
mni
rum
cini
inqu
temp
reru
dac.
cris
Juda
quod
impe
Nor
trans
Phal
erat,
rat;
illat
ad Im
placu
gusto
Vesp
Quan
butis
nove
ne li
aut ra

me

me v Historiarum libro, multa de origine Judæorum, duce Mose, Hierosolymis, eorumque sacris ac religione, commemorasset, eaque omnia ad famam, memorias ac traditiones auctorum, retulisset, tandem, cap. xiii, ejusdem vaticinii mentionem facit: *Pluribus persuasio fuerat, inquit, antiquis Sacerdotum literis contineri, eo ipso tempore fore, ut valesceret oriens, profectique Judæa rerum potirentur.* Et Josephus, lib. vi. de Bell. Judæ. cap. xxxi, *Ceterum anceps quedam, & in sacris quoque literis fundata, prædictio cum primis Judæos ad rebellandum incitavit, cujus sensus est, quod ipso illo tempore quidam ex Judæorum finibus imperium & dominum mundi esset acquisiturus.* Non male pleraq; nisi ad Vespasianū ac Titum transtulissent: nec enim Vespasianus Judæa, sed Phalacrine, exiguo vico in Sabinis, oriundus fuerat, nec ibi regni sui sedem ac fundamenta jecerat, quorum utrumque oraculum ac celebrata illa tantopere fama prædixerat. Aut, si omnino ad Imperium Romanum istud oraculum referre placuisset, cur non de C. Julio Cæsare, aut Augusto, magnitudine gloriaque rerum gestarum Vespasiano longe illustrioribus, interpretantur; Quare, quæcunque Ethnici de plerisque attributis divinis & aliis fidei nostræ mysteriis cognoverunt ac docuerunt, ex traditione ac lectione librorum nostræ gentis, non ex natura, aut ratione, habuerunt.

XI. Cæterum, cum tam exigua, imo nulla propemodum, sint, quæ de DEO eiusque Natura, essentia, cultu ac voluntate, naturaliter cognoscuntur, non possunt sufficere ad supernaturalem & æternam beatitudinem consequendam. Hæc enim ita comparata est, ut naturæ hominis intelligenti ex naturali quadam convenientia nec debeatur per se, nec per naturæ vires, cognosci ullo modo, nec ab homine desiderari & appeti, multo minus acquiri, unquam possit. Dico, i, non deberi homini ex naturali quadam convenientia, quod jam olim Pelagiani asserbant, tribuentes infantibus non baptisatis vitam æternam, & naturalem quandam beatitudinem, sine ulla molestia aut dolore, extra regnum beatorum, & procul a carcere damnatorum, sicut Augustinus, lib. de Hæres. c. LXXXVIII, docet: *Nam, etiamsi non baptisentur, promittunt eis, extra regnum quidem Dei, sed tamen æternam & beatam quandam vitam suam.* Ita &, lib. II, Imperfecti operis contra Iulian. *Facitis duas æternas felicitates, unam, quæ sit in regno DEI, alteram, quæ sit extra regnum DEI.* Quam ipsam quoque sententiam secutus fuit Ambrosius Catharinus, lib. de statu puerorum sine baptismo decedentium, & Albertus Pighius, in i Controversia, quorum uterque, infantes sine baptismo morientes beatitudine quadam naturali, velut in paradiso terrestri perpetuo fructuros, docuit. Quibus Bellarminus, lib. VI de amiss. grat. & statu peccati,

cati
trid
eius
tio
conv
est, i
par
est co
bum
bum
debe
nus
num
mne
pedi
rius
imm
Bella
suo
sum
dem
ab e
S. T
xxu
los,
nam
falsu
felic
corp
in

cati, c. i, Hieronymum Savanorolam, in lib. de triumpho crucis, adjungit, & postea, cap. iii ejusdem libri, Catharini argumenta refutat. Ratio quarta Catharini hæc erat: *Quia non erat conveniens, ut quicquam fraudaretur suo fine, id est, illo, qui ei secundum naturam competit, idcirco parvulos ea manebit felicitas, quam homini dignum est competere, ut homo est. Ergo istis pueris, qui humanam naturam sine crimine habebunt, illa, quæ humanæ naturæ convenit, & quodammodo ipso jure debetur, felicitas, dabitur. Noscent ergo, quatenus naturalis cognitio se extendere poterit, Dominum DEUM substantias separatas longe super omnes Philosophos. Non enim ullum habebunt impedimentum ex corpore, neque interius, neque exterius, & in æternum viventes, proficient quasi in immensum.* Hæc Catharinus, cui responder Bellarminus, falsum esse, nihil posse fraudari suo fine. Quin potius conveniens esse, ut summus omnium rerum provisor dirigat quidem omnia ad suum finem, sed tamen aliqua ab eo fine excidere permittat, idque docere S. Thomam, in i p. q. xxii, art. ii, & quæst. xxiii, art. iii. Deinde addit, falsum esse, parvulos, sine Baptismo decedentes, naturam humanam habere sine crimine. Denique & id falsum esse, hanc esse naturalem hominis felicitatem, vivere in æternum, cum corpore penitus immortalis, proficere in immensum, nullum impedimentum ex

ex corpore habere, intelligere DEUM & substantias separatas supra omnes Philosophos, idque sine labore, sine doctore, sine libris, aliisque discendi instrumentis. *Nihil enim horum, inquit, natura humana per se requirit, quin potius naturale est homini, corpus habere mortale, cibo ac potu indigere, pendere a sensibus corporalibus, inscientiis acquirendis non sine magno labore ad intelligentiam, quamvis exiguam ac tenuem, rerum incorporalium pervenire.* Verum opus non est, multa argumenta huic opinioni confutandæ convasare, cum S. Patres tam copiose & prolixè id præstiterint, ut novis argumentis non sit opus, imo unus Augustinus totum negotium hoc conficere videri possit, qui tanto melius de Pelagianorum sententia judicare poterat, quanto rectius & intimius eorum sensa perspexerat, & diutius cum illis, non sine insigni Ecclesiæ Catholicæ, præcipue Africanæ, commodo ac emolumento, confixerat, adeo quidem, ut validissimus hæreticorum malleus propterea a S. Bernhardo, Serm. LXXX, in Cantic. vocaretur. Is igitur, lib. I de orig. animæ, cap. IX, *Non baptisatis parvulis nemo promittat inter damnationem regnumque cælorum quietis vel felicitatis cujusbet atque ubilibet quasi medium locum, hæc enim eis hæresis Pelagiana promisit.* Et, lib. II, cap. XII, *Novellos hæreticos Pelagianos justissime Conciliorum Catholicorum & sedis Apostolicæ damnavit auctoritas, eo, quod ausi fuerint non baptisatis par-*
vulis

vulis
regn
bis
habe
lum
re no
cælor
exst
prius
gnun
gnun
senti
pert
Gen
gnon
locu
grat
sint
quo
Deu
us
usto
mu
X
beat
pori
ralit
fale
Aug
Cath

vultis dare quietis & salutis locum, etiam prater regnum cælorum. Et iterum, Tom. x, de verbis Apostoli, ferm. xiv, *Quid de vita æterna? habebunt, inquiunt. Quare habebunt? quia nullum peccatum habent, & ad damnationem pertinere non possunt. Ergo est æterna vita extra regnum cælorum? primus hic error averfandus ab auribus, extirpandus a mentibus, hoc novum in Ecclesia, prius inauditum est, esse vitam æternam prater regnum cælorum, esse salutem æternam prater regnum Dei. Prius vide, frater, ne forte hinc consentire nobis debeas, quisquis ad regnum Dei non pertinet, cum ad damnationem sine dubio pertinere. Gemina his legere est apud scriptorem Hypognostici, lib. v, post medium: Finge, Pelagiane, locum ex officina dogmatis tui, ubi alieni a Christi gratia vitam requiei & gloriæ possidere parvuli possint. Ipsum etiam Concilium Carthaginense, quod vulgo Milevitanum vocatur, cap. ii, ἀναθεματίζει τὰς λέγοντας μέσον τοῦτον κολασσεως καὶ παραδείσου, εἰς ὃν καὶ τὰ ἀβάπτιστα βεβήκη μετατιθέμενα ζῆν μακαρίως ut Photius, cap. Lii, μυριοβίβλος, ait.*

XII. Deinde nec cognoscitur naturaliter beatitudo, ut est perpetua salus animæ ac corporis, ac visio Dei beatifica. Nam, etsi naturaliter omnes homines bonum aliquod universale appetant, & bene sibi esse omnes velint, uti Augustinus quoque, lib. de moribus Eccles. Cathol. cap. iii, ait: *Beate certe omnes*

H

vivere

vivere volumus, neque quisquam est in hominum genere, qui non huic sententia, antequam plane emissa sit, consentiat: attamen, bonum illud particulare an & quid sit, nemo quisquam eorum scire potuit, adeo quidem, ut id bonum sæpe censuerint, quod nihil minus fuit, quam tale, & aliud quidem Epicuræi, aliud Stoici, aliud iterum Peripaterici, aliud denique alii, amplecterentur, ut Augustinus ipse, unum M. Varronem, ducentas & octaginta opiniones recensuisse, alibi fateatur. *Quæ enim ex sola DEI voluntate proveniunt, supra omne debitum creature nobis innotescere non possunt, nisi quatenus in scriptura sacra traduntur, per quam divina voluntas nobis innotescit*, ut alia quidem in causa loquitur S. Thomas, part. III, q. I, art. III, Et Bellarm. lib. VI de grat. & lib. arbitr. cap. I, *Quæ supernaturalia sunt, nulli unquam mortalium venissent in mentem, nisi Deus ipse illa manifestare voluisset.*

XIII. Neque vero sequitur: Si anima tam excellentis & sublimioris cujusdam naturæ est, ut perpetuo perduret, non ignobilem aliquem, sed similem perpetuum ac felicissimum finem, postquam a corpore soluta est, ipsi deberi, cum sine perpetua duratione perfectio illa esse non possit. Non sequitur id, inquam. Primo enim nemo Ethnicorum ita unquam argumentatus est, sed ἡματαυθῆσαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν, evanescunt in cogitationibus suis, & cum,
falsa

falsa esse, sciant, quæ de animarum corruptione dicuntur, vera tamen invenire non possunt, quemadmodum Socrates alique Philosophi cæterorum ethnicorum idololatriam deridebant, interim, quæ aut ubi vera religio esset, reperire per se non potuerunt. Quod argumentum prolixè exequitur Lactant. lib. II, Div. Instit. cap. III, ethnicos quidem falsas opiniones rectè impugnasse, non tamen ideo deprehendisse veras. *Impugnatae sunt ergo, inquit, a prudentioribus falsæ religiones, quia sentiebant, esse falsas, sed non est inducta vera, quia, qualis aut ubi esset, ignorabant. Itaque sic habuerunt, tanquam nulla esset omnino, quia veram non poterant invenire, & eo modo inciderunt in errorem multo maiorem, quam illi, qui falsam tenebant. Qui tandem caput & totam illam disputationem ita claudit: Summa rei hæc est: Imperiti & insipientes falsas religiones pro veris habent, quia neque veram sciunt, neque falsam intelligunt. Prudentiores vero, quia veram nesciunt, aut in iis, quas falsas esse intelligunt, perseverant, ut aliquid tenere videantur, aut omnino nihil colunt, ne incidant in errorem, cum id ipsum maxime sit erroris, vitæ pecudum sub figura hominis imitari. Falsum vero intelligere, est quidem sapientia, sed humana. Ultra hunc gradum procedi ab homine non potest. Itaque multi Philosophorum religiones (ut docui) sustulerant: Verum autem scire, divina est sapientia. Homo autem per seipsum pervenire ad hanc scientiam non potest, nisi doceatur a Deo.*

Ita Philosophi, quod summum fuit humane sapientie, affecti sunt, ut intelligerent, quid non sit; illud assequi nequiverunt, ut dicerent, quid sit. Nota Ciceronis vox est: Utinam tam facile vera invenire possem, quam falsa convincere! Atque hinc est, quod tam variae ac discrepantes de statu animarum post mortem sententiae apud eos reperiantur. Stoici certe pro fabulis habuerunt, quæ de Stygia palude, Cocyto, Phlegethonte, campis Elysiis commemorantur, unde Seneca unum argumentum ad consolandam Marciam super obitum filii sui desumit, cap. xix, Cogita, inquit, nulla defunctum malis affici. Illa, quæ nobis inferos faciunt terribiles, fabula est. Nullas scimus imminere mortuis tenebras, nec carcerem, nec flumina flagrantia igne, nec oblivionis amnem, nec tribunalia, nec reos ullos in illa libertate tam laxa, nullos iterum tyrannos. Luserunt ista poëte, & vanis nos agitavere terroribus. Mors omnium dolorum & solutio est & finis, ultra quam mala nostra non exeunt, quæ nos in illam tranquillitatem, in qua, antequam nasceremur, jacuimus, reponit. -- Mors nec bonum, nec malum est. Quibus gemina Epictetus apud Arrian. lib. iii, cap. xiii, scribit. Epicurus quoque, poëtarum signum id esse, putavit, & illas inferorum penas, quæ ferantur, in hac esse vita, interpretatus est. Alii de conjunctione nostra cum Deo disputant, & vel de præsentī vita loquuntur, vel de futura utcumque aliquid balbutiunt, ut apud

Morn.

Morn. cap. xix de Veritate Christ. Relig. videre est, an vero & quid ea sit, an & quibus mediis ad eam perveniri possit, nemo eorum certo scire potuit. Accedit deinde & hoc, quod perpetuitas non sit de essentia & formali ratione perfectionis, cum quælibet perfectio eadem & æqualis esse possit in uno instanti, vel aliquo brevi tempore, quæ & quanta esse potest toto tempore, etsi perpetuo duret: æque enim perfecta est perfectio albedinis unius diei, sicut est unius anni.

XIV. Tertio, nec id adeo exploratum, & adhuc sub iudice lis est, an immortalitas animæ Ethnicis certo cognita, infallibiliterque & apodictice ex natura demonstrari queat. Certe Scotus, in iv sent. dist. XLVI, quæst. II, Hervæus, quod lib. I, q. XI, Jandunus, III de an. q. V & XXIX, Cajetan. in Rom. IX, & Eccles. III, sola fide eam innotescere, dicunt, naturales vero rationes probabiliter solummodo suadere, non necessario demonstrare, quicquid etiam reliqui Scholastici, apud Conimbric. Ruvium, & Lorin. in Eccles. XII, ipsi etiam Conimbricenses, Disp. I de anim. separ. art. III, Melch. Canus, lib. XII Loc. cap. XV, contra disputent. Unde reperti quovis tempore, etiam in Ecclesiæ gremio, fuerunt, qui animas hominum immortales, & corpori superstites, pernegarent. Quotusquisque Romæ, Acropoli, ac specula totius Christiani orbis, Cardinalis est, quot Prælati, quot regulares

irregulares, quibus facilius ex Homero aut Virgilio fabulas persuaseris, quam resurrectionem mortuorum, animæque immortalitatem? Ipse Pontifex Romanus, Ecclesiæ Christianæ caput, controversiarumque fidei, si Deo placet, certissimus ac infallibilis iudex, Dei in his terris vicarius, ac Petri, Apostolorum principis, indubitatus successor, non raro eo devenit, ut, quid sibi credendum, certo statuere nequiverit, sicut olim ante duo secula Johannes xxiii. P. P. *sæpe & sæpius coram diversis Prelatis & aliis honestis ac probis viris pertinaciter, Diabolo suadente, dixit, asseruit, dogmatizavit, vitam eternam non esse, neque aliam post hanc, quinimo dixit & pertinaciter credidit, animam hominis cum corpore extingui, & mori, insar brutorum animalium, ut ex Concilii Constantiensis sess. xi, discitur. Quapropter denuo in Concilio Lateranensi, sub Leone x. P. P. sess. viii, Anno MDXII, definitum fuit, animam hominum esse immortalem, quorum vesaniam irridens Lutherus noster, Tom. vii, Wittenb. German. in assert. articulor. per bullam Pontificiam damnatorum, artic. xxvii, scribit: *Es ist neulich zu Rom fürwar meisterlich beschloffen der heilige Artikel / daß die Seele des Menschen unsterblich sey / denn es war vergessen in den gemeinen Glauben / da wir alle sagen / Ich glaube ein ewiges Leben. Item es ist auch beschloffen durch Hülffe Aristotelis, des grossen Lichts der Natur / daß die Seele sey eine wesentliche Form des**

de
d
ch
S
un
Q
Pe
fib
tra
ge
po
cæ
Q
ple
ru
67
MD
nih
tes
Vo
cau
qua
Na
cal
fion
ne
adu
det
fve
fste

des Leibes/ und derselben seiner Artikel vielmehr/
 die aufs allerzierliche wohl anstehen der Pöbstli-
 chen Kirchen/ auf daß sie Menschenträume und
 Teuffelstehe behalte/ dieweil sie Christus Lehre
 und den Glauben mit Füßen tritt und verdirget.
 Quæ ipsa quoque Tom. II. Ien. reperuntur:
Permitto tamen, quod Papa condat articulos fidei
sibi & suis fidelibus, quales sunt, panem & vinum
transubstantiari in Sacramento, essentiam Dei nec
generari, animam esse formam substantialem cor-
poris humani, se esse imperatorem mundi, & Regem
cæli, & Deum terrenum, animam esse immortalem.
 Quo decreto certe opus non fuisset, nisi omnia
 plena atheis tum fuissent. Una Lutetia Parisio-
 rum, teste Merfeno, comment. in Genes. f.
 671, jam tum 50000 atheorum continebat Anno
 MDCXXIII, quo isti commentarii editi sunt. Ut
 nihil nunc de Photinianis dicam, quorum an-
 tesignanus Faustus Socinus, in Epistola v ad
 Vockelium, sic ait: *Velim scias, me duplici de*
caussa, præter eam, quam ipse commemoras, ab ista
questione de animæ immortalitate ibi abstinuisse.
Nam & mihi res erat cum homine Puccio, qui me
calumniandi inque omnium invidiam vocandi occa-
sionem querebat, necdum mihi, quid de ista questio-
ne statuendum sit, plane exploratum erat, quem-
admodum nec hodie est. Tantum id mihi vi-
detur statui posse, post hanc vitam animam
sive animum hominis non ita per se sub-
sistere, ut premia ulla pœnasve sentiat,

H 4

vel

*vel etiam ista sentiendi sit capax, quæ mea firma opinio facile potest disputatione ista colligi, cum ex multis, quæ identidem dicuntur, tum vero ex ipsa, de qua præcipue agitur, sententia mea. Si igitur inter Christianos, revelationem divinam utcunque edoctos, reperiuntur tales, quid mirum, si Ethnici, qui revelatione divina destituti erant, nihil certi hac de re cognoscere potuerunt? Socrates certe, omnium eruditorum testimonio, totiusque Græciæ iudicio, omnium sapientum facile princeps, cum multa antea de animæ nobilitate ac præstantia Deique cognitione disputasset, tandem tamen, cicutam bibiturus, amicis suis, Tempus est, ait, me jam hinc abire, ut moriar, vos, ut vitam agatis. Utrum autem sit melius, Dii immortales sciunt, hominem quidem scire, arbitror, neminem. Qui si certi quid nonnunquam statuere videtur, vel vitam longævam cum Zenone, vel cum Pythagora *μετεμψύχῳσι* animarum, ad hanc vitam in terris agendam, concludit. Similiter & Antonius apud Cicero- nem, lib. 1 Tuscul. quæst. se, lecto Platonis libro de anima, assentiri quidem, asserit, sed, posito libro, cum secum de immortalitate animarū cogitare incipiat, omnem illam assensionem dilabi. Idem de Cleombroto Ambraciota Cicero ibidem & Augustinus, lib. 1 de Civ. Dei, cap. xxii, testantur: Hunc, ferunt, lecto Platonis libro, ubi de immortalitate animæ disputavit, se præcipitem dedisse de muro, atque ita ex hac vitamigrasse ad eam,*

eam, quam credidit esse meliorem, ait Augustin. Nimirum dubitaverat hætenus, tandem, ut cognosceret, verane essent, quæ Plato disputarat, de muro se præcipitavit. Ita plerique alii, antiquissimæ illius Socraticæ sapientiæ traduces ac custodes, quorum compendium nobis reliquit Theodoretus, lib. v *Σεγαπεντικῆς τῶν Ἑλληνικῶν παθημάτων*: Pythagoras, inquit, Anaxagoras, Diogenes, Plato, Empedocles, & Xenocrates, animam, dixerunt, incorruptibilem esse. Heracletus vero, animas hominum corporibus liberatas concedere, ait, ad mundi totius animam, utpote quæ sit ejusdem generis & substantiæ. Stoici vero, se-junctas a corporibus animas sibiipsis ad vitam sufficere, affirmarunt, eas tamen, quæ sint paullo imbecilliores, exiguo temporis spatio superesse quæ autem validiores, perdurare usque ad mundi conflagrationem. Democritus, Epicurus, & Aristoteles, animam corruptibilem esse, impudenter asseruerunt. Quæ de Stoicis addit, ea a Cicerone quoque confirmantur: Stoici usuram nobis largiuntur, tanquam cornicibus, diu mansuros animos, ajunt, semper, negant. Et Diog. Laertius, in Zenone: Animam a morte permanere, attamen tandem corrumpi. Quicunque igitur animæ immortalitatem cognoverunt, ii vel ex traditione, a majoribus accepta, vel conjectura verisimilique ratione, suam explicarunt sententiam, ut Justinus Martyr loquitur, apud Melchiorum Canum, lib. xii, Loc. cap. xv. Ex natura vero ejus-

ejusque principiis paucos admodum, idque ægre, præstitisse, Augustinus, lib. xiii de Trinit. cap. ix, arbitratur. Quod si autem de animæ statu, postquam corpore excessit, tam dubie, obscure, ac perplexe loquuntur, certe nec meliora de beatitudine ac visione Dei æterna asserre potuerunt: itaque non ex natura, ejusque principiis, sed ex divina revelatione, peculiariter Prophetis & Apostolis facta, unice erit cognoscenda, seu, ut Lactantius, lib. vii, cap. vii, ait, *hec propria est in nostra religione doctrina.*

XV. Quemadmodum vero beatitudo æterna cognosci naturaliter ab homine non potest, ita nec appeti, *Talis est enim in unaquaque re modus appetendi, qualis cognoscendi: appetitio enim cognitionem sequitur, nec fieri potest, ut quis appetat rem incognitam,* ait Bellarm. lib. iv de grat. & lib. arbitr. cap. x, §. *Quantum cognoscent, tantum diligant,* ait alicubi Augustinus. Et iterum: *Non amaremus beatitudinem, nisi nossemus,* lib. x Confess. cap. xx. Disputant Scholastici, *Utrum omnis homo appetat beatitudinem?* Et Thomas quidem, i ii, quæst. v, artic. viii, in corp. recte respondet, quod beatitudo dupliciter possit considerari, uno modo, secundum communem rationem beatitudinis, & sic necesse esse, quod omnis homo beatitudinem velit. Sic enim, appetere beatitudinem, nihil aliud esse, quam appetere, ut voluntas satiatur, quod quilibet vult. Alio modo

modo nos loqui posse de beatitudine secundum specialem rationem, quantum ad id, in quo beatitudo consistit, & sic non omnes cognoscere beatitudinem, quia nesciunt, cui rei communis ratio beatitudinis conveniat, & per consequens non omnes eam velle. Unde &, amorem Dei imperfectum omni creaturæ, etiam Dæmonibus, inesse, concedit, part. i, quæst. lx, art. v, ad 5, & i, quæst. cix, art. iii. Interpretes ejus, Cajetanus & Pesantius, hic, & Becanus, part. ii Theol. Scholast. T. i, tract. i, cap. i, de Beat. quæst. x, distinguunt inter appetitum naturalem & liberum, & illum quidem iterum vel innatum, vel elicitum esse, dicunt. Innatum porro nihil aliud esse, quam innatam illam propensionem seu inclinationem naturalem, per modum potentia & actus primi, circa quem conveniunt, non esse in homine ullam capacitatem ad appetendam beatitudinem supernaturalem, nisi, quod Joh. de Rada, part. iv, contr. xiii inter Thomam & Scotum, art. ii, solum appetitum Naturalem & innatum approbet, atque, illum non esse aliquid superadditum voluntati, sed ipsam potentiam voluntatis absolutam, neque actum a voluntate elicitum, sed tantum inclinationem & propensionem voluntatis in suam perfectionem, dicat, & tandem, cum Scoto, iv, dist. xlix, quæst. iix, & quæst. i, prol. Major. quæst. vi, Durand. quæst. iix, & i, dist. i, quæst. ii, ad i, Palud. quæst. vii, art. i, concl. i, & ii, Soto, quæst. ii, art. i, & l, de Natur. & grat. cap.

cap. iv, Henrico, 1 part. summ. quæst. v, Bassol. iv, dist. xl. ix, quæst. v, Bonavent. quæst. ii, Anton. iii part. tr. xxx, cap. ix, §. 2, Ferrar. lib. iii contra gentes, cap. xli, apud Pesantium, ubi supra, concludat, eum necessario & summe ferri in beatitudinem, etiam in particulari, *esseque independentem ab omni revelatione, ut ex eo solum, quod intellectus aliquos naturales effectus cognoscendo colligit, esse Deum, desideret hoc ipso natura rationalis videre hunc Deum in se & clare, prout est prima causa naturalis omnium rerum. Quod si vero ista cognitio de Deo, ut prima causa, obtineri naturaliter nequeat, id fieri per accidens, quia ista conjuncta sit visioni Dei secundum attributa supernaturalia.* Nec Bellarm. lib. vi de grat. & lib. arb. cap. viii, adeo improbat hanc opinionem, quin potius, multorum sententiam eam esse, diserte addit, naturaliter inclinari mentem hominis ad videndum Deum, & hanc inclinationem manere in homine per modum actus primi, neque eam aliud esse, quam ipsam naturam propensam ad bonum, etsi in actum secundum prodire, propter naturæ corruptionem, sine auxilio gratiæ Dei, non possit. Verum quicquid sit de distinctione illa inter appetitum innatum & elicatum, certum est, non esse ullum talem in homine ad beatitudinem supernaturalem, aut videndum Deum. Primo enim talis virtus in potentia cognoscente requiritur, quæ objecto sit proportionata: quicquid enim recipitur ad modum recipientis recipitur, ideo

ideo
co
qu
Dei
tura
ext
nus
am
uno
tell
cul
fusi
pel
tur
act
vel
se
bea
tio
qu
dia
ne
app
cau
pte
bu
bu
tur
ha

ideo noctua non intuetur solem, quia virtute conspiciendi solem est destituta, lapis non videt, quod talis potentiae non sit capax. Visio autem Dei beatifica est supra debitum & ordinem naturae, ut recte Becanus ait, ubi supra: non, quod sit extra latitudinem objecti cognoscibilis, sicut sonus est improporcionatus visui, sed propter suam excellentiam, quæ est ordinis supernaturalis, unde & omnem virtutem receptivam nostri intellectus excedit, nisi superior quædam vis & facultas accedat, quæ illam reddat capacem hujus susceptionis, quam Scholastici lumen gloriæ appellant. Deinde omnis potentia & inclinatio naturalis necessario dicit ordinem ad principium activum, quod formam cum subiecto uniat, & vel in ipso subiecto, vel in alio agente naturali, esse debet, neutrum autem datur respectu visionis beatificæ, ergo nec ipsa potentia naturalis. Tercio, si talis inclinatio naturalis ad finem illum assequendum inesset: Atqui non habet homo media illa naturalia, ut plerique concedunt, Ergo nec facultatem ipsam. Denique nec naturalis est appetitus ad Deum videndum, etiam, prout est causa prima in ordine rerum naturalium, propter necessariam connexionem omnium attributorum inter sese. Qui enim Deum videt, attributa naturalia supernaturalibus non distinguit.

XVI. Si dicas: Unamquamque potentiam naturaliter appetere suam perfectionem, atque hanc non esse bonum aliquod creatum, in quo appe-

appetitus non satietur, sequi igitur, esse ipsum Deum clare visum; ad id respondetur, appetere quidem quamlibet potentiam suam perfectionem, veruntamen sibi proportionatam: si enim illa est naturalis, cum naturalem, non supernaturalem desiderat, sicut & intellectus alias appetit omnem veritatem naturaliter cognoscibilem. Quod autem non in naturali, sed sola supernaturali perfectione acquiescit & satiatur, id partim inde est, quod nemo adhuc omnia bona, quorum naturaliter capax est, consequi potuerit, partim, quia multa sæpe bona judicantur, quæ talia non sunt, & proinde vera bona non adsunt, partim denique, quia sæpe plurima mala bonis sunt admixta, quibus homo carere vellet, si posset.

XVII. Non cognosci ergo nec appeti naturaliter ab homine supernaturalis illa beatitudo potest, minime omnium vero obtineri. Si enim finis hominum ita comparatus est, ut nec cognosci, nec desiderari, naturaliter queat, sed prorsus supernaturalis sit, necessum quoque est, ut mediis ipsi proportionatis paretur. Non potest autem homo ex se & suis viribus media supernaturalia præstare, igitur nec talem finem consequi. Et hoc est, quod Thomas dicit, 1 II, quæst. v, art. v, in corp. *Omnis cognitio, quæ est secundum modum substantiæ creatæ, deficit a visione divinæ essentiæ, quæ in infinitum excedit omnem substantiam creatam. Unde nec homo, nec aliqua creatura, potest consequi beatitudinem ultimam per suam naturam.*

tur.
tic
ad
suff
que
tur
vire
Idq
nun
natu
min
tiæ
attri
hon
men
ræ
nece
lis,
perf
man
pena
rum
sent
Deu
vide
X
quid
cept
ciam
luter
tribu
cost

turalia. Ponamus autem, esse aliquam cognitionem & inclinationem naturalem in homine ad finem supernaturalem, non tamen sequitur, sufficientes quoque vires esse ad eum consequendum: nam & anima a corpore separata naturaliter propendet ad corpus, nec tamen eas vires habet, quibus jungi eidem rursus queat. Idque concedit Bellarm. ubi supra, cum quærit, num dilectio Dei super omnia, tum ut auctoris naturæ, tum ut largitoris gratiæ & gloriæ, sit homini naturalis, & præstari possit sine auxilio gratiæ supernaturalis? respondet autem, esse, quod attinet ad inclinationem naturæ, quæ maneat in homine per modum actus primi, non posse tamen in actum secundum prodire, propter naturæ corruptionem, sine auxilio gratiæ Dei. *Neque necesse est, addit, ut, ubicunque est inclinatio naturalis, sint etiam vires sufficientes per se ad actum illum perficiendum, ad quem natura propendet.* Nam humana anima a corpore separata naturaliter propendet ad corpus, nec tamen suis viribus potest iterum cum corpore copulari: Et, juxta multorum sententiam, naturaliter inclinatur mens hominis ad Deum videndum, nec tamen potest suis viribus Deum videre.

XVIII. Quare mirari subit imprudentiam, ne quid durius dicam, eorum, qui, D. Thomæ, Præceptoris sui, & aliorum Scholasticorum, sententiam impugnantes, ethnicis etiam sanioribus salutem ac beatificam Dei visionem hac in parte tribuerunt. *Vix satis mirari possum, ait Josephus Acolsta, lib. v de Procuranda Indorum salute, c. iiii,*
quid

quid Præceptoribus quibusdam Scholasticis, viris certe gravibus nostri seculi, in mentem venerit, ut, nunc quoque temporis, post tamdiu revelatum Christum, sine Christi notitia salutem cuiquam æternam contingere posse, confirment. Quorum opinio tam mihi semper visa est ac modo quoque videtur absurda, ut nullo modo dubitem, antiquos Patres, Augustinum præsertim, in homine Christiano, nedum Theologo, moleste id accepturos fuisse, ac nescio sane, an etiam a severiore censura temperare potuissent, a qua tamen, propter auctorum & eruditionem, & pietatem, abstinendum nobis est, quorum vestigia potius solemus sequi. Sed illud & libere, & vere dicendum est, non dignam Theologo esse sententiam, quæ nihil in sacris literis, nihil in sanctis Patribus, firmitudinis habeat, tantum humana quadam suspitione introducta, propter infinitam eorum multitudinem, qui in hoc novo orbe tam longa ætate Evangelii luce caruerunt, quibus aditus in cælum omnis præcludi videtur, si ad salutem fuerit Christi notitia necessaria. Hæc ille, quibus verbis sine dubio Cajetanum, Franciscum Victoriæ, & similes, perstringit. Erasmus certe Ciceronem, Socratem, Virgilium ac Horatium manifeste in cælo collocat. Unde in Colloq. Conviv. religiosi. Cum talia lego, inquit, vix mihi tempero, quin dicam, Sancte Socrates, ora pro nobis. Et paulo post: Ipse mihi sæpenumero non tempero, quin bene ominer sanctæ animæ Maronis & Flacci. Iterum, præf. Tusc. quæst. Ciceron. de Ciceroniæ loquens: Me

non

non
cui
age
idq
ven
neri
ean
qua
Nar
Don
Cor
min
posse
ter q
min
in co
tius
mon
Ser
gus,
seq.
vis
Lon
Lat
Don
sus,
pere
di,
quo
arbi
skra

non admodum adversum habituri sunt ferendus calculus, qui sperant, illum apud superos quietam vitam agere. Quod tolerari forte in homine privato, idque timide asserente, posset, nisi in ipso Conventu Tridentino, qui ad extirpandas omnis generis hæreses confluerat, reperti fuissent, qui eandem opinionem coram toto mundo, tanquam certam ac exploratam, propugnassent. Nam, cum F. Ambrosius Catharinus, Senensis, Dominicanus, nondum tunc Minorensis aut Compianus Episcopus, prolixè ostendisset, hominem absque singulari Dei ope nullam actionem posse peragere, quæ vere bona dici possit, ne moraliter quidem, sed peccatum solummodo, itaque hoc nomine Lutherum minime damnandum, & licet olim in contraria fuerit opinione, nunc tamen, re accuratius secum pensitata, veritatem attingisse, ut commemorat eruditissimus scriptor, Fr. Paullus Sarpius, Servitarum ordinis, & Venetæ Reip. Theologus, in Historia Concilii Tridentini, lib. II, p. 215, seq. (cujus acta, ab eodem, sub nomine Petri Suavis Polani, conscripta, a M. Antonio de Dominis Londini in Anglia Italice primum edita, postea Latinitate donata, & iterum typis excusa sunt) Dominicus tamen Soto ibidem, omnibus adversus, acerrime tum impugnabat, exclamans hæresin sapere, hominique detrahere libertatem bene operandi, & FINEM suum NATURALEM assequendi, quod non aliud sit, quam cum Lutheranis liberum arbitrium negare. Asserens simul, posse hominem natura viribus omnia legi mandato adimplere, quoad

I

ope-

operis substantiam, licet non quoad finem, atque id sufficere ad peccatum evitandum. Quam sententiam repetit lib. II de Nat. & grat. cap. XI, sed postea tandem, lib. IV, dist. I, quæst. II, retractavit. Prolixè verò Concilii Interpretes, Andreas Vega, Hispanus, Franciscanus, lib. VI super Concil. Trid. cap. XVII & XX. Itemque Andræus Payva, Lusitanus, lib. III def. Concil. Trident. defenderunt. Quamvis ex Patribus quoque aliqui, & superiori seculo Zwinglius, Bullingerus, Lavaterus, Hardenbergius, Tossanus, Gualtherus & eorum assecræ, Herculem, Theseum, Socratem, Aristidem, Antigonom, Numam, Camillum, Catones, Scipiones, aliosque ejusdem generis, solius naturæ ductu beatitudinem æternam consecutos, imprudenter scripserint.

XIX. Ecquid fuerit tandem, quod Ethnicos ad summum illud beatitudinis æternæ culmen evehat? Nec enim Deum recte coluerunt, nec amarunt, & qui cum colerent, quem ignorarunt? Et quamvis divinitatem ac potentiam ejus quodantenus nossent, ipsum tamen non ut Deum, sed ut creaturam, & corruptibilem hominem, imo ut reptile aliquod, coluerunt, ut Apostolus, Rom. I, 21, seqq. testatur: *Propterea, cum Deum norint, tamen ut Deum non glorificaverunt, neque gratias ei egerunt, sed vani facti sunt in rationationibus suis, & obtenebratum est cor eorum intelligentia carens. Cum se dictitent sapientes, stulti facti sunt. Mutarum enim gloriam incorruptibilis Dei in conformatam imaginem corruptibilis hominis & volu-*
erium,

*erium, & quadrupedum, & reptillum. Quod si non est veritatem in mendacium commutare, nescio equidem, quid sit. Nisi veritatem dicere velimus, ea sentire, quæ lumini naturæ aperte & indubitato refragantur, qualia sunt, quæ de multitudine Deorum, ἀποθεώσεσσι eorundem, de Diis ipsis flagitiosissimis hominum propudiis ac monstribus, brutis animalibus, lapidibus, animi denique vitiis ac morbis, loco Deorum habitis, commemorantur, quæ sine stupore nemo hominum legat. Socrates ipse, cum, ob contemndos gentilium Deafstros, ad cicutam damnaretur, moribundus tamen, Æsculapio gallum pro se immolari, voluit. Idque est, quod Augustin. lib. ii de Civ. Dei, cap. vii, ait: *Quidam eorum magna quadam, quantum divinitus adjuti sunt, invenerunt, quantum autem humanitus impediti sunt, errarunt.* Et, lib. xviii, cap. xli, *Quo humana se porrigit infelicitas, si divina non ducit auctoritas?* Ita enim fieri solet, ut nunquam eodem loco ac statu naturalis cognitio subsistat, sed, vel in melius accedente peculiari Numinis auxilio, & nova illustratione, vel in deterius perveritate hominum, veris falsa, ac religiosis supersticiosa, subinde admiscantium, transmutetur, si cœlestis doctrinæ subsidio destituatur, uti recte quoque ait Theophilus Antiochenus, lib. ii ad Autolycum: *Quemadmodum mare, nisi subinde reciperet fluminum fontiumq; fecundum influxum, & hinc aleretur, propter suam salsuginem dudum exaruisset; ita quoque mundus, nisi haberet legem & prophetas scaturientes dulcedinem & misericor-**

diām, & iusticiam, & doctrinam sanctorum Dei præceptorum, propter peccatum & maliciam, quæ in eo potenter & copiose regnant, dudum interiisset. Et, cum, de Deo colendo, ac vita secundum eius voluntatem recte instituenda, multa egregie præcepissent, tamen, quæ est humanæ naturæ pravitas ac perversitas, nec ipsi secundum ea vivere, & alios potius falsis religionibus & suscepta publice idololatria circumvenire, quam in rectam vitam ducere, maluerunt, unde & peculiare Theologiæ genus, quod Civile vocant, excogitarunt, ut ex M. Varrone Augustinus docet, lib. vi de Civ. Dei, cap. v, seqq. eo, quod in urbibus, regnis ac imperiis gubernandis, populoque in officio continendo, esset occupatum, continebatque non verum Dei cultum, sed ad utilitatem Reip. & ad opiniones vulgi fictas religiones. *Hac Pontifex nosse populos non vult, nam falsa esse, non putat. Expedire igitur, existimat, falli in religione civitates, inquit Augustinus, lib. iv de Civ. Dei, cap. xxvi. Et iterum, cap. xxxi, Varro nem dicere, ait, multa esse vera, quæ non modo vulgo scire non sit utile, sed etiam, tametsi falsa sint, aliter existimare populum expediat. Quo loco addit: Hic certe totum consilium prodidit velut sapientium, per quos civitates & populi regerentur. Eadem quoque, cap. sequenti xxxii, repetit: Quod utique non aliam ob causam factum videretur, nisi, quia hominum velut prudentium & sapientium negotium fuit, populum in religionibus fallere. Ita, lib. vi, cap. x, L. Senecam loquentem introdu-*

cit:

cit: Omnem istam ignobilem Deorum turbam, quam longo aeo longa superstitio congeffit, sic adorabimus, ut meminerimus, cultum ejus magis ad morem, quam ad rem, pertinere. Similia prodidit Lactantius de Cicerone, lib. II, cap. III, qui, cum probe intelligeret, falsa esse, quæ homines adorarent, ait tamen, non esse illa vulgo disputanda, ne susceptas publice religiones disputatio talis extinguat. Plato etiam, cum quo solo tamen & ejus discipulis de vera religione disputandum esse, Augustinus ait, lib. VIII de Civ. Dei, cap. V, hypocrita fuit, qui, cum probe nosset, unum esse Deum, eamque notam epistolarum serio a se scriptarum faceret, si eas a Deo, non Diis, auspicaretur, supplicio tamen Socratis, Præceptoris sui, deterritus, id publice profiteri non audebat. Utinam autem hodie quoque nostris temporibus istæ Machiavellistarum artes non obtinerent! Cardinalis certe Cusanus, Epist. II & VII. ad Bohemos: Hoc te non moveat, inquit, quod diversis temporibus alius atque alius ritus sacrificiorum & etiam Sacramentorum, stante veritate, invenitur, scripturasque esse ad tempus adaptatas, & varie intellectas, ita, ut uno tempore secundum currentem ritum universalem exponerentur, mutato ritu, iterum sententia mutaretur. Et iterum paullo post: Non mirum, si praxis Ecclesie uno tempore scripturam interpretatur uno modo, & alio tempore alio modo: nam intellectus currit cum praxi, intellectus enim, qui cum praxi concurrit, est Spiritus vivificans. Similiter & Melchior Canus, lib. XI Loc.

cap. v, *Sine ergo plebem probabilissimam opinionem, præferim, quæ penitus insedit atque inveteravit, cum suis majoribus retinere.* Et, cap. sequenti, agnoscit, multos falsis ac mendacibus scriptis mentes mortalium concitare voluisse ad Divorum cultum, itaque a Ludovico Vive, lib. v de trad. disciplin. prudenter ac graviter reprehensos, qui pietatis loco duxerint, mendacia pro religione fingere. Egregiam vero Theologiam! ubi religio ad Remp. non hæc ad illam, æstimatur, licetque Deos colere, quos placet. & Reip. expedire, videtur, & rursus, si aliter obtineat, veteres dediscere, ac eorum loco novos quosdam & ascriptitios cudere, summa imis, sacra prophanis, omnes deniq; religiones ludos jocumq; habere.

XX. Quid? quod Ethnici idololatria & nequitia ita omnia obruerunt, ut, quod de Deo ac honestate vitæ supererat, ipsi ultro pro suis everterint. Unde tam foeda & turpia factu commiserunt, ut neminem, nisi Deum ipsum, vindicem & ultorem expectarent. Socrates cum magister morum & exemplar vitæ haberi ab omnibus vellet, lascivus & mulierosus fuit, iracundus porro adeo, ut, si quando effervesceret, convitiis plaustra, nulla cujusquam reverentia, evomeret, ut Porphyrius testatur, apud Mornæum, cap. xxxiii de de Vera relig. Quem ipsum Laertius quoque inter alia ad cicutam damnatum scribit, quod contra fas & jus juvenes corrumpere. Ita Cimon, ut vir bonus, incestuosus tamen, & Aristides, vir justus, peculatus tamen & ambitus reus factus est

est, & Catones, juventutis censores, sed adulter ille, hic quovis parricida nequior, fuit, ut idem Mornæus loquitur. Sed age, ex uno Diogene Laertio (quem multo severius vitas Philosophorum scripsisse, quam quosdam Christianos vitas sanctorum, Melchior Canus ait, Lib. xi, cap. penult.) totum illorum cœtum, qui masculos approbarunt amores, ut Plut. de Educ. liberor. vocat, singulorumque emblemata audiamus, eo quidem ordine, atque iis verbis, quibus Cornelius a Lapide, comment. in Epistolam Pauli ad Rom. I, 26, usus est: *Periander, Cratea, propria matre sua, abusus est. Socrates Alcibiadi in delitiis fuit. Theodorus ait, sapientem publice, absque pudore & suspitione, scortis congressurum. Phædon, captus ab hostibus, infami se quæstui addixit. Stilpo, præter uxorem, Micarete, pellice, utebatur. Menædemus notatur nimium familiaris fuisse amasio Arcepleiadis. Aristippus, lib. 4 de antiquis deliciis, ait, Platonem captum fuisse amore Stella, astrologi, & Dionis: Alii Phædrum addunt, alii etiam Alexim, Bion, Borysthenites, Theodora & Phileta, scortis, palam congressiebatur: item, duos adolescentes, Demetrium & Myrleanum Leocharem, turpiter amavit. Unde & ab Aristone Chio corruptor juvenum dictus est. Idem adoptabat juvenes, ut eis abuteretur. Aristoteles Hermia concubinam amavit, eique sacrificavit. Demetrius Phalereus, qui 360 statuis areis honoratus est, a Cleone turpia est perpeffus. Antisthenes dicebat, sapientem formissimis quibusque mulieribus congressurum.*

Diogenes dicebat, debere esse communes mulieres & filios. Zeno uxores communes in Rep. statuebat. Chrysippus, in libro de Rep. congregi iubet matribus, filiabus & filiis. Eudoxus fuit in deliciis Theomedonti, medico. Epicurus Leontiam & Themistiam, meretrices, & Pythoclem, formosum adolescentem, in deliciis habebat. Hæc ex Diogene Laertio Cornelius. Quid restat igitur, nisi, ut cum eodem nunc porro concludamus? Eant nunc Politici & Neutralistæ nostri, Philosophos hostes, ut viros probos, prædicent, eosque, ut sanctos & beatos, canonizent, quos infanda Veneris mancipia Asmodeus autoravit, orcoque addixit.

XXI. Et si autem, ut diximus, valde imperfecta notitia Dei naturalis sit, adeo quidem, ut cum superiori illa ac revelata ne comparari quidem possit, & ad salutem æternam ac visionem Dei beatificam consequendam non sufficiat, quo pauciora tamen ea sunt, quæ de Deo naturaliter cognoscimus, eo majori in pretio habere oportet, gratioraque longe esse debent, quam, si ea, quæ prope nos sunt, exacte cognoscere possemus: ὥσπερ τῶν ἐρωμένων μικρὸν μᾶλλον κατιδεῖν ἢ διόν ἐστιν, ἢ πολλὰ ἕτερα καὶ μὲν γὰρ διὰ ἀκριβείας ἰδεῖν, sicut dilectarum puellarum exiguam partem videre jucundius est, quam alias multas & magnas accurate perlustrasse, ut Aristoteles ait, lib. i de part. an. cap. v. Certe illam cognitionem vel prorsus falsam & mendacium esse, vel iis, quæ peculiariter a Deo revelata sunt contrariari, non est dicendum. Falsum enim ac mendacium non est,

est, quod ex principiis natura notis ac lumine
 naturæ recte & legitime deducitur, sive id ab ho-
 mine Ethnico, sive Christiano, pio aut impio,
 fiat, veritas enim a re seu objecto, non a subje-
 cto, dependet. Æque enim verum est, cum pa-
 gani aliquis, Socrates, Plato aut Aristoteles, di-
 cit, Deum esse, unum, iustum, & veracem,
 quam, cum id asserit Lutherus, aut alius quivis
 Christianus, ideo, quia, Deum talem esse, dicit,
 qualis revera est, unde vera est enunciatio pro-
 pter ipsum objectum. Sicut & ista vera erant,
 quæ a puella de Paulo Apostolo & comitibus di-
 cebantur: *Isti homines servi sunt Dei altissimi, qui*
annunciant vobis viam salutis, Act. xvi, 17, ut ut a
 Diabolo ac Pythone essent suggesta. Unde Au-
 gustinus, Epist. xxviii, *A quocunque verum dici-*
tur, illo donante dicitur, qui est ipsa veritas. Et B.
 Lutherus Postilla Domest. Dom. viii post Tri-
 nit. Wo es möglich were/ das der Teuffel selbst
 also predigte/ würde es nicht falsch noch erlogen
 seyn/ wer daran glaubet/ der würde das haben/ daß
 sie ihm verheissen. Quare non ideo aliquid ve-
 rum aut falsum est, quod hic aut ille ita statuit,
 sed quia ejus conceptus cum re ipsa congruit,
 aut ab eadem discrepat. Non propterea, quia nos
 putamus, te album esse, tu albus es, sed propterea,
 quod tu albus es, nos, qui dicimus, verum dicimus,
 ut scribit Aristoteles, lib. ix Metaph. cap. x. Ita
 etiam, non, quia vir bonus & fidelis dicit, Deum
 esse iustum, ipsa iustus est, sed quia ita est, ideo
 verum est, sive bonus, sive malus, Ethnicus aut

Christianus id dicat. Atque hinc Dei veritatem Apostolus vocat, Rom. 1, 19, quod Deus ipse Ethnicis manifestarit, licet eam in falsitatem transmutarint, & in injusticia deinuerint.

XXII. Quanquam autem horum, & similium argumentorum, tanta vis ac efficacia sit, ut negari nullo colore possint, reperti tamen superiori seculo nonnulli fuerunt, qui assererent, paganos idolum tantum, poetarum Jovem, adulterum, puerorum ac puellarum raptorem, non verum Deum, agnovisse, imo hominem a natura non nisi idololatricum conceptum de Deo formare posse; quibus tamen facile responderetur, si observetur, quæstiones illas, an, & qualis, a quæstione, quis? distinguendas esse, sæpe enim, an, & qualis res sit, notum est, dum quælibet, quis? adhuc ignoratur, ut, si quis regem videat, regem tamen esse, nesciat, sicut plerique Patres olim, AntiChristum venturum, & ingentia opera editurum, sciebant, quis tamen ille esset, ante revelationem non æque constabat. Ita & Oedipus, se patrem habere, sciebat, eum tamen Lajum esse, ignorabat. Eodem modo & gentes, verum aliquem Deum esse, sciebant, eumque colendum, & invocandum, etsi, quis ille esset, nescirent, idemque illis contigit, quod cæco, apud Joh. x, 36, seq. qui, cum filium Dei videret, nesciebat tamen, hunc esse. Deinde, alia Dei cognitio est simplex, qua scitur, Deum esse, itemque sapientem, potentem, justum remuneratorem, & injustitiæ vindicem: Alia vero applicata ad certum subiectum. Etsi igitur

tur Ethnici quasdam, de vero Deo, notitias habuerint, illas tamen in mendacio & impietate detinuerunt, tribuentes, non vero, sed falso Numini, & poetarum Jovi. Quod si autem, propter malam applicationem, ea, quæ vera sunt, falsa fieri possunt, jam nihil in tota rerum natura erit, quod non statim falsitatis reum perageretur, ut, si hoc principium, Deus est colendus, falsum sit, cum ab Ethnico applicatur Jovi, Marti, aut Mercurio, hoc est, cum cultus divinus creaturæ tribuitur, æque falsum & hoc fuerit, ex nihilo nihil fit, cum & ex eodem ethnici omnium rerum, ex nihilo, creationem impugnent.

XXIII. Sicut autem hoc certum est, ea, quæ ita naturaliter de Deo cognoscuntur, vera esse, neque confundenda cum iis, quæ Poætæ de Diis suis fabulati sunt, ita vicissim, nec id dubium habere debet, lumen illud naturæ, & quæ ex eodem extructa est, naturalem Dei cognitionem veritati coelesti, peculiariter a Deo revelatæ, aut hanc illi, per se non contrariari, *verum enim vera consonat, & a falso statim discrepat*, uti Aristoteles, lib. I Ethic. Nicom. cap. VIII, docet. Ratio hæc est: tum, quod objectum utrobique non sit idem, tum, quod ex diversis principiis innotescant, & diversum de diversis iudicium sit ferendum. Quemadmodum enim unaquæque ars & disciplina peculiare suum objectum habet, quod in altera non docetur, sicut Ethica, quanta quantæ etiam sit, non docet res mathematicas, nec mathesis moralia, neque tamen una alteri adversatur:

Ita

Ita & ipsa Philosophia, seu notitia naturalis, utut Dei donum sit, & ab eodem æque, ac supernaturalis, profecta, peculiare tamen objectum habet, a mysteriis divinis distinctum, quæ non tantum naturaliter indagari non possunt, sed etiam, cum proponuntur, stulta & impossibilia videntur, nec magis tamen hæc sapientia naturalis supernaturali repugnat, quam Mathesis Ethicæ, aut hæc illi, cum longe aliud sit, rem aliquam non assequi, vel non comprehendere, & aliud in iis, quæ non assequimur, reliquis evidenter contradicere. Non entia enim, nulla sunt accidentia realia, & positiva. Unde error eorum liquet, qui dicunt, duplicem esse veritatem: unam naturalem seu philosophicam; alteram supernaturalem & Theologicam, seu, quod idem est, non omnia in Philosophia vera, vera tamen esse in Theologia quod superiori seculo Fortunatus Crellius in Academia Heidelbergensi, teste Keckermanno, lib. vii System. Phys. p. 417, Hoffmannus, Schlichtingius, & eorum affectæ publice magnis odiis, majore vero contentione, ac scandalo, asseruerunt, ac Philosophiam, non quidem in abusu, sed usu vero, veriori ac verissimo consideratam, Theologiæ ac disciplinæ supernaturali contrariari. Sane, qui hoc dicunt, ipsi nec, quid Philosophia, nec, quis ejus usus sit, accurate unquam perspexerunt. Nam, quemadmodum naturalia ad res naturales cognoscendas principia, a Deo hominibus manifestata, & vera sunt; ita & ipsam Philosophiam, in sua sphaera, & circa

DRO.

proprium objectum recte, & legitime ex veris principiis, deductam, divinæ manifestationi congruere necessum est. Quod si vero hæreticus aliquis, aut homo impius, & profanus, ad hæresin aut vitæ turpitudinem defendendam, inde quid depromat, id merus abusus est, & per se principium falsitatis, erroris, ac malitiæ esse non potest.

XXIV. Neque his adversantur, quæ B. Lutherus in thesibus suis, de dicto, verbum caro factum est, Anno M D XXIX, die x, Jan. Sorbonæ, Scholæ Parisiensi, oppositis disputat, T. II Lat. Witteb. f. 413, ubi asserit, idem verum non esse in diversis professionibus, Theologia ac Philosophia, hoc pessime definivisse Sorbonam, eosque, qui contrarium docuerunt, impie damnasse. Verba Lutheri hæc sunt: 1, *Etsi tenendum est, quod dicitur: Omne verum vero consonat, tamen idem non est verum in diversis Professionibus.* 2, *In Theologia verum est, Verbum esse carnem factum; in Philosophia simpliciter impossibile est, & absurdum.* 3, *Nec minus, imo magis, est disparata prædicatio, Deus est homo, quam, si dicas, homo est asinus.* 4, *Sorbona, mater errorum, pessime definivit, idem esse verum in Philosophia, & Theologia.* 5, *Impieque damnavit eos, qui contrarium docuerunt.* 6, *Nam hac sententia abominabili docuit, captivare articulos fidei sub iudicium rationis humanae.* 7, *Hoc erat aliud nihil, quam cælum & terram includere suo in centro, in grano militæ.* 8, *Cum contra Paulus doceat, captivandum esse omnem intellectum (haud dubie*

&

& Philosophiam) in obsequium Christi. Nam 1, cum Lutherus hanc, propositionem, Idem est verum in Theologia, & Philosophia, reprehendit, non hoc vult, unum idemque objectum in una disciplina verum, in altera falsum esse, sed totam illam propositionem simpliciter negat: veluti, si quis Pontificius assereret: Solus Pontifex Rom. est visibile caput Ecclesiæ, accederet vero Lutheranus aliquis, & contradiceret, non solus Pontifex Rom. est visibile caput Ecclesiæ, non hoc diceret, Pontificem Romanum esse quidem Ecclesiæ caput, at non solum, verum, præter hunc, aliud etiam caput alicubi reperiri: sed totam propositionem, tanquam veritati minus consentaneam, rejiciendam dicit. Deinde vero, & 2, non sequitur, si idem non est verum in diversis Professionibus, ergo statim est falsum, cum hæc sibi immediate, & contradictione, non opponantur. Ita non sequitur, Christianus non est verus civis Turciæ, ergo est falsus. Item, Resp. Romana non est pura Monarchia, ergo est impura. Imago Cæsaris non est verus Cæsar, ergo falsus, hoc est, Cæsareæ dignitatis invalor, & tyrannus. 3, Hoc itaque dicit Lutherus, idem non esse verum in diversis Professionibus, tum, quando diversæ Professiones de eodem objecto non ajunt, quod exemplo statim declarat. Hæc Propositio, verbum caro factum est, sine dubio vera est in Theologia; in Philosophia vero nec vera, nec falsa est, quia in Philosophia prorsus de eadem non agitur. Philosophus enim, ut Philo-

loso-

losophus, æque nescit hanc propositionem,
 quam Aristoteles, aut alius quivis e media genti-
 litate homo, superiori gratiæ lumine non instru-
 ctus: hic enim de iis, quæ naturaliter fiunt, &
 quæ intra illas metas continentur, solummodo
 judicat, quæ autem extra eas sunt, & ex sola Dei
 voluntate fiunt, ac peculiari revelatione nobis
 innotescunt, de iis, nec novit quicquam, nec ju-
 dicat. Pessime igitur omnino definivit Sorbona,
 idem esse verum in Theologia, & Philosophia,
 & nihil in Theologia verum esse, quod ratio
 non percipiat, ac dijudicet, hoc enim idem esset,
 ac captivare articulos fidei sub iudicium rationis
 humanæ, cælum terræ, & utrumque in grano
 milii, includere, uti Lutherus loquitur. Ubi e-
 nim non est idem ens, ibi nec eadem veritas esse
 potest. 4. Tandem Lutherus ibi non dicit, eam
 propositionem, verbum caro factum, quæ in
 Theologia vera est, in Philosophia esse falsam,
 sed absurdam, & impossibilem. Multa autem
 absurda rationi videntur, quæ non ideo falsa,
 imo, quo quid absurdius, & magis impossibile,
 est, eo magis sæpe verum esse solet. Potest e-
 nim fieri, ut aliquid potentia naturali, Philoso-
 phiæ cognita, impossibile factu sit, quod tamen
 absolute falsum non est. Sic virginem parere, ab-
 surdissimum est, non ideo tamen statim negan-
 dum. Quare mera calumnia est, quam adver-
 sarii, cum ipsis Photinianis, B. viro & nobis o-
 mnibus impingunt: *In magno & crasso er-
 rore versatur Franzius cum Luthero, qui credit, ve-
 rum esse, aliquid in Theologia, quod sit falsum*

in

in Philosophia, hoc est, rationi contrarium, ait Smalz. contra D. Franz. disp. v de Ministerio p. 165, & Goslayus contra Keckerm. Ad contradictionem illam, Deum esse unum, & non unum, adversarij non inveniet, quod respondeat, nisi ad Lutheranos transire, ac cū iis duas veritates, sibi contrarias, alteram scilicet Philosophicam, alteram vero Theologicam, statuere velit.

XXV. Et de his hactenus satis. Ut finem tandem faciamus, & totam nostram, de Cognitione Dei naturali, tractationem concludamus, constat, ita cognosci naturaliter posse, nisi quis sponte oculos claudere, & noctuarum instar, ad tenebras convertere, velit, & ab Ethnicis ipsis, ductu naturæ, deprehensum, esse aliquem Deum, vindicem peccatorum, & remuneratorem recte factorum, eumque colendum, ac venerandum, quæ noticia quidem ad æternam salutem non perducatur, suos tamen fines, ac usus, habeat. Deo æterno ac immortalis, qui hanc lucem mentibus nostris reliquit, & de essentia voluntateque sua, per filium suum longe clarius, & luculentius in verbo suo, nos informavit, gratias agimus, rogantes, ut, pro immensa illa paterna bonitate sua, radiis sapientiæ suæ porro quoque corda nostra illustrare, veritatem cœlestem edocere, erroresque, sane doctrinæ contrarios, evertere, ac tandem veram, ac salutarem sui cognitionem in nobis augere quotidie magis ac magis, velit.

F I N I S.

C.
—
ait
p.
adi-
per-
era-
rias,
neo-
fi-
am,
on-
os-
ua-
ab
esse
re-
en-
ad
fi-
tali,
de
nge
or-
en-
suæ
em
inæ
alu-
o-

1018

Bibl. der Franckeschen Stiftungen Halle



Ha33\$0158895

